

PARÆNESIS
AD LUTHERANOS
Dominos Academicos aberrantes
P. IODOCI KEDD
è Societate J E S V.

Cum aliis

Doctissimorum Virorum
Considerationibus & Demonstrationibus:

Nullam, nisi Romanæ Ecclesiæ, fidem
prudenter & securè
amplectendam esse:
& Indiculo quorundam

*Serenissimorum, Illustrissimorum, Illustrium
Prænobilium &c.*

qui
deserto Luthero Calvinoq; &c.
ad gremium
Romanæ Catholicæ Ecclesiæ
redierunt.

Prima Nota Hæreticorum nostri
temporis *Negatio.*

PRima illa, nec meo iudicio, parva
Nota est, quod omnia propemo-
dum *Negant*, affirmant pœnè nihil,
nisi quod & negando affirmant
plerumq̃ue, & affirmando *Negent*, vt facilè ap-
pareat ex eorum numero illos esse, qui vt Ter-
tullianus de Hæreticis omnibus scripsit, Cre-
dendo non credunt, dissimiles in eo Paganis,
qui, vt idem ille ait, non credendo credunt (&
post pauca) tales denique illos esse, vt possit
quis non insulsè, nec falso contendere, si Chri-
stiani dicendi sunt, *Negative* illos, non affirma-
tivè Christianos dici debere. Porrò *Nega-
tivè* Christianum quem esse, quid aliud est,
quàm omninò non esse Christianum? Tit. 1.
Cod. fabri.

Ad Majorem DEI Gloriam,
&
Animarum salutem.

Permissu Superiorum.

Reve-

*Reverendissimo, Illustrissimo & Excellentissimo
Domino, Domino*

GVILIELMO LEOPOLDO,

SACRI ROMANI IMPERII

Comiti in Rheinstain & Tattenbach, Libero Baroni in Gonovviz, &c. S. Joann. Hierof. Ordinis Equiti & Commendatori in Kleinols &c. Sac. Cæs. Regiæq; Majestatis Camerario, intimo Consiliario; Interiorum Austriae Provinciarum Præsidi Bellico, & Serenissimi Archiducis Leopoldi Guilielmi intimo Consiliario, & supremo Aulae Præsfecto, &c.

R*everendissime, Illustrissime, & Excellentissime Domine Comes, ea est, rerum humanarum infirmitas, ut, quidquid recens natum lucem aspexerit, sine adminiculo nec consurgat, nec adolescat, suaq; deinde in corruptionem pronitate consenescat, & corruptum sit alteri rursus renascendi exordium. Ipsi q; adeo libris hoc familiare est, ut annis paulatim succedentibus, & temporum injuriâ corrupti, boni publici amantibus causa sint, ut renovatis typis, rerum scitu dignarum quandã velut immortalitatem, quam invida perpetuitati na-*

*turæ infirmitas nõ permittit, arte & industriã pro-
curent, suisq; simul laboribus adminicula & patro-
nos quærere necessarium putent. Quem cum, tradu-
cto jam quasi in legem usu, sollicitè circumspicerem,
virtutum **Tuarum** & gratæ humanitatis me-
moriã, quæ **Te Ratisbonæ** mihi facile notum fe-
cerunt, non passa sunt longam deliberationem; tot
subitò causæ se ingesserunt, quare uni **Tibi**, non
jam auderem, sed debere viderer, aliquem laborem
meum dedicare. Arma enim tractamus ambo, am-
bo pro Ecclesia Dei, sub Christi signis, triplici voto-
rum Sacramento auctoritati nomen Sacratiori mi-
litiæ dedimus: hoc tamen **Te** inter & me inter-
est, quod inter legionem **Tuam** atq; meam, inter
hostes **Tuos** & meos, arma **Tua** & mea, **Tuã**
Illustrissimam Excellentiam & meam humilitatẽ.
Imperator Christus & causa belli ambobus eadem:
DEI nimirum gloria, Animarum salus, Ecclesiæ
Christi exaltatio. **Tua** legio veterana est tribus pro-
vidè distincta graduum discriminibus, Equites cen-
set, Presbyteros & Fratres ministrantes: meam **S.**
Ignatius, olim miles, militaris haut dubiè **Illustris-**
simi*

fimi ordinis tui exemplo, in totidem Professorum,
Coadjutorum spiritualium ac temporalium gradus
distribuit. Tuus ordo, spurios, mancipia, Iudæis &
Mahumetanis natos, alium prius ordinem profes-
sos, homicidio aut infami crimine notatos, fœminæ
alicui per promissionem matrimonij obnoxios, nul-
los ad signa admittit: Sed nec istis ad meum ingres-
sus datur. Tuus contra hostes Christiani nominis rē
manu ferroq; fortiter gerit: Meus contra omnes
Dei & Ecclesiæ hostes, voce, calamo, armisq; spiri-
tualibus decertat: Et ut in utroq; solidius,
nō discedere à signis, sed intrepidè aduersum pectus
hosti obijcere, Romanæ olim Iuuentutis exemplo,
in Tuo Ordine, sua Tyronibus sunt apta institu-
tis exercitia, quibus ad bella Domini fortiter ge-
renda, & animos imbuant, & durent corpora: sed
nec ista in meo desunt, qui totum etiam biennium
tam salutari indulget institutioni. Tuus Ordo
Impatientes disciplinæ milites à Signis reijcit, &
velut membra infecta refecat; idem & meus facit.
In his suo modo pares sumus, in hoc dispares: quod
Te inter Illustiora Tui Illustriss: Ordinis mem-

bra, *Tua* virtus collocarit, qui præter armorum
dexteritatem & virile pectus, sedem Consilij scien-
tiis habes instructissimam, diciq; verè possis: miles,
litteratus, Religiosus, dignusq; cuius consilia & re-
ges desiderent & Cæsares. Ego inter meos me mi-
nimum non diffitear. Hæ itaq; Illustrissime Domi-
ne Comes causæ sunt, quas propter hunc Tibi præ-
cipuè, quem concinnavi libellum, nuncupare volue-
rim, qui militi Catholico pro pharetra sit, unde tela
depromat in Ecclesiæ hostes, retusa nunquam, nun-
quam retundenda. Tuæ virtuti, meã hanc ignosce
audaciã, Illustrissime Domine Comes. Sicque Te
videam diu sospitem, & laudem virtutum tuarum
immortalem. *Viennæ Austriæ 1655.*


Reverendissimæ, Illustris: & Excellentissimæ
Dominationis Tuæ

Humillimus in Christo Servus

JODOCVS KEDD
SOC. JESU.

A D

AD LUTHERANOS AV- DITORES ACADEMICOS.

Um, Auditoribus Academicis Lutheranis, ju-
rium Candidatis mihi sermo fuit in deductione
Religionis Romanæ Catholicæ, ex Romanorum
Imperatorum rescriptis, constitutionibus, Legibus &c.
fuit & pro veritate ejusdem Romanæ universalis Ec-
clesiæ, varia mihi cum Lutheranis &c. verbi Ministris
disceptatio, quibus, inter alia, non ita pridem proposue-
ram per breves XII. quæstiunculas controversiarum no-
stri temporis radicem investigantes, quare ne Academi-
ci ceteri in mea deductione vos præteritos quæramini, qui
juris prudentiæ studiosi non estis, in Vestri gratiam, insul-
sa, & ad propositum nihil facientia, Prædicantium Ve-
strorum, ad meas XII. propositiones, responsa Vobis quo-
que in hac meâ Paranesi proponam, hæud gravatè indi-
caturis, quos deinceps ad vitam æternam in fide Duces
ac Magistros Vobis sequi securum fuerit. Adjiciam
deinde eruditissimi cujusdam viri entymema, cum ridi-
culâ famosi ad illud Hungari Prædicantis responsione,
tum ex P. Gregorio de Valentia analysin fidei. & Car-
dinalis Perronij collationem Ecclesiæ veteris, cum nostra
hodiernâ, nec non Jacobi Kelleri perorationem ad Impe-
rij Principis. Deniq; deliberationem dabo ex P. Leonar-
do Lessio: quanam sit fides amplectenda; cum speciali
ejusdem

*ejusdem deductione: non quemlibet in sua qualicumque
Christianâ Religione posse salvari. Que mea alio-
rumque lucubrationes, non alio (Deum testor) quam
sincerissimo salutis Vestre desiderio à me proposita, si eâ
quoque sinceritate desiderioq; à vobis accipiantur, le-
ganturq; omnes, nihil dubito, quin, exploso Ministro-
rum Vestrorum supercilio, proscripito proprii cerebri Ido-
lo, amenissima Veritatis Lux se animis vestris sit infu-
sura, eosq; datura fructus, quos in tot Serenissimis, Illu-
strissimis, Illustribus, Gratosiss, Prenobilibus, Nobili-
bus, Clarissimis, Consultissimisq; Dominis uberrimos
protulit, uti ex adjecto eorundem indiculo videre lice-
bit. Et ego totis precordiorum suspiriis à D E O postu-
lo, Et Vobis precor, Vienna 1655.*

Academicarum Dominationum
Vestrarum.

Studiosissimus

JODOCVS KEDD
Societ. JESV.

PARÆ.



PARÆNESIS
P. JODOCI KEDD,
SOCIETATIS JESU,

*Ad Dominos Academicos Lutheranae opi-
nionis.*



Xistimo vobis, Domini Academici, incogni-
tum esse non posse, plus quam viginti Lutheranae opi-
nionis verbi ministros, ipsasq. vniuersitates & professo-
res frustra conatos ad duodecim mea postulata respon-
dere, sensu nunc eodem mox verò diverso, videlicet :

Hulsemannus Lipsiæ.

Micrelius Stetini.

Titius Helmstedij.

Melchior Nicolai Stutgard.

Sionatus Angustæ.

Heuglin Præsb:

Langius Oedenb:

Waldtschmidt Francos:

Gunderfeldt Nordtl.

Pomarius Wittenb:

Reinboth Sleswici.

Dorschæus Argentor.

Frimelius Vratislav:

Eraſmus Gruber Ratisbr

Petrus Haberkorn Gisiæ.

Musæus Jenæ.

Andreas Sartorius Illavia,

Rector.

Evangelici Citerioris Hungariæ.

Quibus velut succenturitati accedunt, calumniiosi famosorum
libellorum Balatrones, qui cum assequi moderatos controversiarum
Scriptores nequeunt, in Calumnias Pontificum, malorumq; Sacer-
dotum vitia, velut Scarabæi ad stercora delabuntur, nescij quod
nullius nostrorum Scriptorum propositi sit, mores cujusquam à Re-

ligione Romanâ degeneres, tueri, sed fidem propugnare eosdem damnantem; quos vestri etiam Ministri rectius carperent, nisi hujusmodi hominum propudia, à Deo & Ecclesia verâ propter venerem Apostatantia, pro præcipuis Ministerij sui ornamentis, ad primas Cathedras eveherent, hocq; efficerent, vt quoties nos sceleratis hujusmodi liberamur, eorum toties apud vos numerus accessione cresceret. In hujusmodi scripturientium numerum veniunt:

| | |
|---|---------------------------------------|
| Achilles Victor Lipsiæ. | M. Adamus Schertzer Lipsiæ. |
| M. Joannes Redinger Apostata Lipsiæ. | M. Joannes Eberbardus, Alumnus Saxon. |
| Vincentius Martialis Nitmeister Lipsiæ. | M. Sebastianus Nieman, Lubec. |
| | M. Daniel Schneider, Dresdæ. |

Qui in his Sordibus dum volutantur, ita sui sunt immemores, vt statum à me propositæ quæstionis extremis ne quidem labijs delibent, quorum nomina, ex legum præscripto, infami ligno quam libris digniora sunt, ipsorum etiam Lutheranorum plurium prudentiorum Judicio. Quandoquidem igitur, isti omnes ad 12. postulata mea nunc eodem mox diverso sensu, ita responderunt, ut, quod illis evenire solet, quibus dum domum malè materiata, & fugaci arenæ impositam, pro solidâ dolosè venditant, eamq; contra ruinam fulciunt maximè, malè colligata sub manu concidunt, ipsosque opprimunt temerarias manus maligno operi admoventes, planè hoc mihi videatur Micrelino, Langio, Reinbotjo, cæterisq; contigisse Lutheranis, superius enumeratis, verbi Ministris; Ecclesiam enim hi suam à primis statim initijs, licet malè coherentem scissamque, velut Margaritam tamen Evangelicam, publicè venum proponunt, verbis quasi papavere aspersis: atrium illam cali vocant, per quod in offenso pede ad superos iri, viâ ajunt tam Larcâ, vt neminem rejiciat, nisi quem proprius excludat timor: opera hic nulla requiri: nihil obstare scelera, quando mandata servari nequeant: nullâ virtutum contentione opus esse: otiosum hic, imò superstitiosum mortificationis studium. Pulcra sanè Ecclesia & apprimè grata carni sanguiniq; rosam olet, multosque, vt hanc tam amabilem cuperent suam facere, incautos pellexit, idque vnum facit, vt cum multos

præci-

præcipitasset in perniciem, plures desideraret. Misertus tam miserandam Catastrophen, duodecim non ita pridem quæstiones proposui, ijs examinandas, qui ruinosam hanc molem incolunt. Quid facerent qui ad facta tecta tam malignè coagmentati ædificij se ingesserunt? duæ amplius dodecades architectorum accurrunt, ut hiantes jam compages tumultuariè colligent, inclinatis in ruinam muris obvia quæque fulcra accommodent, quod tam eruditè fecerunt, ut quod prius malè stabat, rudi illorum operâ corruisse non immeritò videri jam possit; Ita enim frivole, impertinenter, ineptè, si non malitiosè, & impiè ad meas illas duodecim propositiones responderunt, ut, cum multis verbis, nihil ad rem dixerint, Ecclesiæ suæ se ruinis sepeliverint, maluerintq; tamen malè respondere, quàm videri obmutuisse. Vestrum igitur, Domini Academici, sed partium studio purgatum, imploro prudens iudicium, vestrorum legitime responsa Doctorum. Quod ut facere promptiùs possitis, & cum meis propositionibus conferre, eorum omnium hic nucleum apponam, hoc enixè rogans, ut, si quid me fugerit, in quo aptè responderint Prædicantes vestri, hoc, omiſſis alijs, separatim & clarè mihi proponatur, promitto, vitâ comite, me accurratè responsurum.

Postulatum I.

Postulavi igitur primò: ut Lutherani Prædicantes argumento sibi proprio demonstrarent, suam Ecclesiam potius, quàm Calvinistarum, Socinianorum, aliorumque ipsorum in fidei doctrinâ hostium, veram esse.

Quid responderetur? non opus inquit Heuglin, Hulsemanus alijque, tali Argumento Lutheranis, ut qui penes se solos delitescere Ecclesiam nunquam asserverint. quin & Micrelius pauperem fore Christum censet, si una tantum Lutheranorum gauderet Eccle-

fiâ. O impium ac blasphemum responsum! Itâne magni gregis
 Christus est Pastor asserendus, ut cum filijs lucis, & filios adoptet
 Belial? Itâne Christus paupertatis Infamiâ liberandus, ut Ecclesijs
 sibi mutuò oppositis seq; invicem maledictos hæreticos appellanti-
 bus, velut polygamus, pluribus se lacerantibus abundet uxoribus?
 certè verax secundum illos non erit Christi Spiritus, si in Ecclesijs
 sibi mutuò, in præcipuis fidei dogmatibus, contradicentibus, con-
 tradictoria spiret. imò si vera est hæc responsio, vestrorum Docto-
 rum confessione, dogmata illa, quæ Lutheranis ita sunt propria, ut
 eos ab alijs non Lutheranis sola distinguant, ad salutem planè creditu
 non sunt necessaria; cum dicant, illos quoque veræ Ecclesiæ esse
 membra, qui illa negant, V. G. Calvinistæ, Anabaptistæ &c. Quo
 non mortalia cogis pectora, negata semel veritatis pertinacia! ul-
 jam, qui in aliena Sacrilegas manus extenderunt, propria tueri non
 possint, nisi & hostium causam quàm mordicus impugnarunt, æquè
 bonam concedant ac suam; nisi dogmata sibi propria, pro quibus
 totam fermè Europam in mutuas cædes concitarunt, tandem de la-
 nâ caprinâ, parerga, & ad salutem non necessaria, ultrò affirmant.
 Et cur, obsecro, Romanam Ecclesiam tot Convicijs proscindunt?
 Cur Helmstadienses à Saxonibus, Saxones ab Helmstadiensibus, pro-
 pter ubiuitatis & bonorum operum litem, mutuis, licet cassis, fe-
 riuntur anathematis? Cur Lutherani Calvinianos, & hi vicissim il-
 los spiritu maligno ebrios, & in substantialibus avios à veritate pro-
 nunciant? si pro utrisq;, dives scilicet, stet idem Christus? Heuglin
 etiam apertius delirat, dum ita Lutheranis Calviniana commiscet,
 placita, ut utraque purè pronunciet Evangelica. Langius credit se
 nodum hunc Gordium, velut Alexandri gladio, solvisse, quando P.
 Martinum Becanum adducit testem, affirmantem in quibusdam (in
 quibus scilicet Lutherani cum Catholicis sentiunt) Lutheranos Cal-
 vinianis melius sentire. ergo: clamat Langius, Jesuitæ judicio, Lu-
 therani præ Calvinianis verâ gaudent Ecclesiâ. Quæso te, mi Lan-
 gi, ubi hanc didicisti Dialecticam? itâne bene putas te inferre to-
 tum ex parte, universalem ex particulari? risum Calvinistæ facis.
 quid enim? si ille dicat: Becanus contra Lutheranam Christi ubi-
 quitatem, contra eorundem actualem infantium fidem, dicit: Calvi-
 nistas

nitas melius sentire Lutheranis. Ergo: Calviniani, indicio Jesuitæ, præ Lutheranis verâ gaudent Ecclesiâ. Viden' te plumbeum pugionem strinxisse, quando ensem putabas te deprehendisse Alexandri? Sic nodus iste non solvitur. Nugantur plane Citerioris Hungariæ Evangelici. Alij etiam cum nihil solidi invenire possint, non teneri se respondere aiunt. quomodo? non tenemini probare vestram Ecclesiam præ alijs esse securam, esse Christi propriam, qui ad eam, vultis, suâ desertâ, accedere Keddiûm, aliosque omnes? pudeat misellos! si aliud nihil sciebant, minore impendio tacuissent. Sartorius multa, velut oracula, affirmat de sua Ecclesia, probat nihil, imo à statu quæstionis imperitè recedit, dum me velle putat, ut ponat arma communia, quibus cum alijs me oppugnat; nihil enim minus ego in hac mea propositione prima petij. Sed hoc volui, ut illâ pro suorum defensione arma expediret, quibus non ipsemet cadat, si contra illum quilibet alius assumat. Denique dicit ab alijs hîc mihi satisfactum. quæso à quibus? Quid verò tibi videtur, Lector Academicæ? vides, credo, quam infulsè, impiè, blasphemè se torserint Doctores tui, nec extorquere tamen potuerint necessarium hoc, ergo: Sola Lutherana est vera & unica Christi Ecclesia; argumento nimium sibi proprio.

Postulatum II.

Postulavi secundo: ut iidem verbi Ministri, vocationem suam præ aliarum Sectarum Præconibus, proprio sibi argumento, legitimam probarent.

Responderunt plerique extra propositum. Micrelius, Heugelin & Sartorius ridiculè contendunt: Romano-Catholicos Calvinianos aliosque Verbi Ministros ac Sacerdotes vocari à DEO posse legitimè, proindeq; à Lutheranis malè peti legitimam vocationis suæ præ alijs probationem. quo responso primum efficiunt, ut incretam

veritatem asserant vocare & mittere ad profeminandos errores^s.
quod sic probò.

Tùm quis asserit increatam veritatem vocare ac mittere ad
profeminandos errores, cum asserit DEUM vocare ac mittere eos^s,
qui dogmata sibi invicem contraria, & aliena à veritate doceant: at-
qui hoc Lutherani citati dicunt DEUM facere. ergo: dicunt increa-
tam veritatem vocare & mittere ad profeminandos errores.

Major sole clarior est; Minorem probò.

Secundum citatos, vocat DEUS Prædicantes ad docendum,
dogmata Lutheranorum, Calvinianorum, Anabaptistarum &c. sed
horum dogmata, ut talium, sunt omninò Contraria, & horum qui-
dem, secundum Lutheranos etiam à veritate aliena: ergo: secun-
dum hos vocat DEUS ad docendum dogmata contraria, & à veritate
aliena. ergo: increata veritas vocat & mittit ad profeminandos^s
errores^s.

Efficiunt deinde responso hoc Lutherani Prædicantes, ut in ijs
dogmatibus, in quibus dissentiant ac distinguuntur ab omnibus illis
qui Lutherani non sunt, ultrò concedant sibi plùs fidei non tribuen-
dum, quam ipsorum Adversarijs eadem dogmata damnantibus. Si
enim Lutherani Prædicantes, præ Calvinianis, Anabaptistis, Socinia-
nis &c. jactare se velint de puritate sanæ infallibilisque doctrinæ,
cum concedant eam auctoritatem se non habere à semetipsis, neces-
sario debent eam in se à legitimâ potestate derivatam, tali argumen-
to probare, quo pro suâ quoque missione gloriari æquè non possit.
Calvinista, Anabaptista, Socinianus &c. vel concedere tantundem,
credendum Prædicanti Calviniano, Anabaptistæ &c. quantum sibi
in illis, in quibus contraria sequuntur dogmata, quia illi tantundem
fidei auctoritatisque suis dictis asserunt, quantum Lutherani suis^s.
Urgeo ulteriùs, ut Lutherani non modo Calvinistis, Anabaptistis &c.
probent argumento sibi proprio, præ illis habendam sibi fidem, ve-
rùm etiam, ut Brunsvicensium, Luneburgensium, Holsatiæ, Daniæq;
Lutheranorum cœtuum Ministri, proprio quisque sibi potiùs fidem
habendam, adstruat argumento, in ijs, in quibus se invicem damnant,
nec omnes simul verum docere, nec veræ adhærescere Ecclesiæ, nec
vera possunt potestate vocationis gaudere; quia increata veritas ad
profe-

profeminandos nequit vocare errores. A citerioris Hungariæ Evangelicis accepto, illum, qui post acceptos Ordines degenerat in Hæreticum, manifestum & exploratum esse, eum legitimâ vocatione excidere, ex Pastore fieri Mercenarium, furem, Lupum, quem Oves fugere debent non audire. Accepto, inquam, & tales eos cum Luthero suo habeo, donec secundo huic meo postulato faciant satis, in quo eorum me miseret, quod convenientia non ferant cum Micrelis alijsq; testimonia. Sartorius satis non habet, more suo, multa asserere, & nihil probare, nisi secundæ responsioni suæ etiam mendacium pro sigillo apponeat, cum à Catholicis falsò dicit traditiones pro scripturâ obtrudi, nisi, particulam pro, eo sensu accipiat, quo scripturam esse Dei verbum traditione probamus, sed aliter à Sartorio velim id probari. quanquam de hoc plura propositione sequenti. Et Micrelis quoque accepto confessionem, quâ concedit: septem Diaconorum Electionem à fratribus factam, confirmatam deinde ab Apostolis. Multa deinde inania blattit: illum, cum Sartorio Hungaro, legitimè vocatum dicit, quem tota Ecclesia ad hoc munus deligit. Addidisset: vera Ecclesia, & illam, ad normam primæ propositionis meæ, apud suos esse probasset, fecisset aliquid, nunc verò cribro aquam hausit. Reflexisset deinde se ad suammet distinctionem, quam ex Act. 6. 23. ipse attulit. Nec ex jure aut consuetudine eligendi vel præsentandi, vitiosè intulisset, jus confirmandi Electionem, & dandi potestatem ordinis & Jurisdictionis, quod, Spirituale utpote, præ illo, longè altioris est ordinis, nec penes communitates esse vel ex scriptura, vel Patribus, &c. probari potest. Et quis non videt, quomodo sibi contradicendo, semet Micrelis Jugulat? dicit: Lutherum & suos, supersticiosos ritus tonsuræ & vñctionis abrogasse, in quâ verò potestate istud? cum mox ipse fateatur in liberâ Ecclesiâ, verâ scilicet, potestate esse, ritus electionis, Ordinationis, vocationis constituere; dicat etiam, nos esse in verâ Ecclesia, cur, inquam, igitur illam nobis potestatem modo abrogat, modo concedit? & si supersticiosa fuit Catholicorum Sacerdotum ordinatio, quare non aliam, aut vbi eam Lutherus accepit? scio Vertumnum illum, ordinationem suam quando accepit, asserere se accepisse charecterem bestię ab Antichristo, & eum tamen Luthera-

therani tunc legitimè vocatum & missum volunt. Viden? Lector, quanti nugatores sint Ministri tui, & quàm mendacem difficile sit esse memorem, & consequenter loqui?

Postulatum III.

Postulari Tertio: ut seclusâ autoritate Ecclesiæ & Traditionibus Ecclesiasticis, Lutherani, apud se potiùs, quàm alios, purum Dei verbum inveniri demonstrarent.

Responderunt id gratis postulari, quòd Romano Catholici eandem cum illis scripturam pro Dei verbo habeant; ego verò cordatè nego, eandem nobis cum illis scripturam communem esse, cum Lutherus libros illius aliquot, cum suo grege rejecerit, textus varios addendo, subtrahendo, glossando corruperit. Deinde non tam interfuit veræ Christi Ecclesiæ, ut sciret litteras illas esse dictatas à Spiritu Sancto, quàm ut sciret verum earum & Spiritus Sancti sensum, sine quo omnia fidei Dogmata reddentur incerta & obnoxia erroribus, ut videre est in Lutheranis secum invicem, & ab alijs sectarijs gravissimè, ex Dei verbo, malè intellecto & explicato, dissidentibus, vnde neque sic completum Dei verbum cum Littera scilicet & sensu nobis cum Lutheranis commune est, cujus tamen proprius in propositione 4. dicendi est locus. Deniq; etsi haberent eandem nobiscum scripturam, cum tamen auctoritatem Ecclesiæ & Ecclesiasticas traditiones, quæ nos certos faciunt, illos quos in manibus habemus veteris noviq; Testamenti Codices, verum esse Dei verbum, Lutherani passim rejiciant, non immerito petivi, ut hisce nostris fundamentis sepositis, aliquo illi solido argumento probarent, penes se incorruptum esse Dei verbum, præ Calvinianis, Anabaptistis, &c. quod cum nequeant miselli, se non teneri ajunt. Sed argumento æque fragili ac illo, quo se vocationem prius suam non putabant teneri probare; dicuntq; Keddium hoc postulato aliud

non petere, quàm vt probetur nivem albam esse, quam talem nemo non videat. Quid, obsecro, illis testatur cum Pomario nivem esse albam? oculi, inquit, quid si ijdem oculi testentur lucere ignem, nunquid par erit credendi ratio, si non? adducatur alia. Quis mihi dicit novum & antiquum testamentum esse verum Dei verbum? Ecclesiâ Catholicâ ejusq; traditiones, Concilia, consensus SS. Patrum (notet Pomarius consensum me dicere SS. Patrum, cui non obstat vnus alicujus aliter Sentientis Judicium, cum nihil ea de re, de qua allegatur, esset in Ecclesiâ decisum) hi testes sunt, his credimus. Sed ijdem libros Job, Ester, Tobia, &c. pro libris sacris habitos æque ac alios, quos vos tantum his exclusis, vultis admittere, testantur ab Apostolis eorumq; Discipulis ac Successoribus ad nos pervenisse. Horum testium in prima assertione, quia mihi infallibilis est fides, est & in secunda. His testibus exclusis peto à Prædicantibus Lutheranis, non immeritò, vt adducant alios, aut si recipiunt in prima assertione, cur rejciunt in secunda? qui enim testis in vno falsitatis convincitur, ab eo nec in altero vllum mihi infallibilitatis solatium spondere possum, nisi aliundè assiscam. idq; à vestris Ministris petitur. hoc præsent, si viri sunt, & non impostores fraudulentî. dicantq; mihi quâ fronte à verbo Dei proscribant dictos Libros Jobi Tobia, Ester, Machabæorum alterum, S. Jacobi Epistolam? ostendant suæ infallibilitatis infallibile argumentum. Metuo, ne hic ad humanæ alicujus malè fundatæ authoritatis scopulum, cum infami naufragio, impingant. Cum Sartorio citerioris Hungariæ Lutheranî ad occultos instinctus Spiritus Sancti & gustus internos recurrunt, sed cum Instinctus hi alij sint in Calvinistis, Anabaptistis, &c. ex eodem Dei nos docentis verbo, dubitari non potest, à mendace Diaboli spiritu hos tam contrarios, imò sæpè contradictorios motus excitari. Spiritus enim Sanctus contraria de eadem re spirare non potest, vnde & Apostolus monet: *nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Retorquent & hic & alibi adversarij alias quæstiones, aperto scilicet argumento, quia respondere ad rem nesciunt. Ego & hic & alibi respondi & respondebo, quamvis non tenerer prius quàm mihi satisfactum fuisset. Micrelius, & cum eo Titius Helmstadiensis, traditiones Ecclesiæ admittunt, quo ad te-

stificationem ejus de genuinis scriptorum sacrorum auctoribus, sed hanc testificationem negant Scripturæ Sacræ Deoq; auctoritatem conciliare, & plura alia ineptissimè. neque nim aliam quàm testificandi auctoritatem ego Ecclesiæ hac in parte tribuo, sed quem testem semel infallibilem agnovi, semper pro tali habeo, testatur autem Ecclesia non tantum de ijs libris scripturæ, quos nobiscum Lutherani recipiunt, sed de ijs etiam quos illi rejciunt. Cuperem denique, ut in aliquo meo Syllogismo plures, quàm tres terminos Micrelius non falsò assereret, sed ostenderet.

Postulatum IV.

Postulavi quartò: ut insolubili argumento probarent, verbi divini Explicationem, validam Sacramentorum Administrationem apud Lutheranos potiùs inveniri, quam apud illos, quos hi, uti Hæreticos, damnant.

Responderunt cum Micrelio Lutherani Prædicantes alij: pro ipsis claros Scripturæ textus loqui. Aliqui addunt, si verborum significatio benè expendatur; Grandem hîc fraudis technam struunt, mi Lector, Prædicantes tui, quod velim benè advertas. Nihil enim suis magis crepant, quam purum putum Dei Verbum, cum nihil præstent minùs, sed mera, loco divini verbi, tibi vendant vertiginosi cerebri sui deliramenta. Si enim purum putum tibi proponant Dei Verbum, quæro à te, quemnam fidei suæ à nobis dissentientem articulum, ex puro putum Dei verbo sine explicationibus & tortuosis glossis, possint demonstrare? Si possint victores sunt. Si non possint, jam textuum pro se adductorum sensum, ut non satis ad propositum clarum ab explicationibus & glossis petere coguntur. Ergo: loco puri puti verbi Dei, contra vanissimas, imò falsissimas pollicitationes, tibi vel è suo cerebro vel aliundè petitas interpretationes

obtrudunt: quibus scire velim, vnde denique infallibilitatem tribuant, (res enim fidei ita debent esse certæ, vt impossibile sit, aliter eas se habere) ne omnes, tuis Prædicantibus contraria ex eodem Dei verbo interpretato docentes, æque possint affirmare, se infallibilem habere & genuinum Sacræ Scripturæ sensum, adeoque Lutheranorum interpretamentis, præ Anabaptistarum Sociniano- rum, &c. nullam esse habendam maiorem fidem. Deinde si purum putum Dei verbum proponant, idque clarum satis? quare Sartorius scripturæ sensum reconditis comparat visceribus? quare suam minorem tam ineptè probat, remittitque ad suorum regulas interpretationum? si Scriptura clara est? quare eandem tot. Glossis Lutherani, Calviniani, Anabaptistæ, Sociniani &c. in diversos, contrarios, imò sæpè contradictorios cogunt sensus? nec aliquid tamen pro se quilibet argumenti ad faciendam fidem infallibilem, adfert, quod non Sectarum quælibet alia pro se pari ratione usurpet? Poteritne Christus venturus Iudex reprobare quenquam, quod ad Lutheranorum divini verbi explicationes vitam, fidemq; suam non composuerit, qui signo nullo infallibili discerni potuerunt, quod præ alijs contrariè sentientibus DEI verbum ad mentem Spiritus Sancti proposerint? Certè Priscianum stupidè Hulsemannus putat, præ Calvinianis Luthero adhæsurum; in illo enim v. g. verborum sensu: *Hoc est corpus meum.* An vocula (est) proprium hic sensum, an alium genuinum habeat Prisciano iudice, Grammatica non decidit. Sartorius, Langius, & alij (qui nullibi minorem probant; quia non possunt) in secunda responsione hîc, planè ablicant, nec ad rem veniunt; non enim petivi ut explicationibus, præ aliorum Sectariorum Glossis fidem faciant, in quibus cum illis consentiunt, sed in quibus dissentiunt: quod Stupores illi sæpiùs licet inculcatum, vel non advertunt, vel cum pluribus alijs malitiosè dissimulant, cum respondere non possint. Citerioris Hungariæ Evangelici victas fermè hîc manus dant, dum aiunt, licet falso, solere se suis glossis adhibere conformes Patrum, & primitivæ Ecclesiæ interpretationes, ut persuadeant scilicet, interpretationes suas non esse novas, sed in Ecclesia vetustiore Apostolicis temporibus proximâ fundatas. Hanc Regulam si Micrelus, Sartorius, Hulsemannus, cum Titio & Cite-

rioris Hungariæ Evangelicis alijsque admitterent, ad faciendam interpretationibus plenam fidem, rem factam haberemus Catholici. Cùm enim illum Malachiæ Locum: *in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Item illum ex Gen. 14. ad Hebr. 5. ubi Christus appellatur à Deo Pontifex, *juxta ordinem Melchisedech &c.* de sacrificio missæ intellectum volumus, & illa Pauli verba: *ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* de piacularibus flammis accipimus, non illa è proprio cerebro affirmamus, sed adducimus consensum incorruptorum ex antiquitate testium, eximiâ doctrinâ, Sanctitate vitæ, & miraculis illustrium, concilia antiqua, & praxin universalis antiquæ Ecclesiæ, quæ Christo & Apostolis vicinior fuit, quando tot millia Martyrum pro his veritatibus sanguinem fuderunt; hoc ubi fecerint Ministri Lutherani, tunc denique aptè ad meas propositiones responderint. Ubi te rogo Lector, ne fidem habeas fraudulentis Ministris tuis SS. Patres malignè citantibus, sed tantum laboris impendas animæ tuæ saluti, ut, si tua id conditio ferat, sanctos Patres ipse legas, non in unâ aliqua sententiâ, sed integros eorum libros evolvas. Hæc verò tanta testium, tot seculorum uno ore in eadem Ecclesia idem asserentium consensus, est veluti viva quædam DEI vox, quæ me si fallere posset, ipse DEUS hoc permittere me falleret, nec ideo damnare me posset, quia his prudenter non potui non adhærere. Ubi miror Micrelij aliorumque Prædicantium in Theologia infantiam, nescientium distinguere inter motivum formale fidei divinæ & inter motiva credibilitatis, qualia nos asserimus jam dicta pro verbo DEI, ejusque vero sensu tot conglobata consentientia semper testimonia. Scio quidem mutila quædam, corrupta & distorta Lutheranos hinc inde ex Patribus testimonia pro se, obtorto velut collo trahere (quod D. Reinboth maximè familiare est) quæ illi senserunt, quando quædam in Ecclesia necdum erant determinata. Verùm non urgeo hoc ab illis, sed eum, quem dixi tot testium convenientem consensum, consensum, inquam, postulo, quod cùm nequeant Ministri tui, argumento, ut dixi, sibi proprio, expergiscere, expiscere tandem infelix Germania, & medullam Lutherani tui Evangelij, Prædicantium agnosce cerebrum, ac detestare.

Postulatum V.

Postulavi quintò, ut quæ ab Apostolis ac Martyribus in primitivâ Ecclesia patrabantur miracula, in Lutheranae opinionis confirmatione: non potius facta demonstrarent, quam Calvinianæ, Anabaptisticæ, Socinianæ, &c.

Micrelius hic eadem quâ prius blasphemiâ DEUM per miracula testem facit, errores, superstitiones, oppositasque & se invicem damnantes, & falsitatis arguentes Sectas confirmantem. Pulchrè deinde cum omnibus alijs dicit omnes illos Christianos ad Christum pertinere, & in verâ esse Ecclesia, qui fidem tenent Christi & Apostolorum ac primitivæ Ecclesiæ conformem atque in verâ Catholica & Salvificâ fide expirant. Pulchrè, inquam, sed cur à minore probanda abstinere, eò quo petij sibi proprio argumento? Hæc minor missellos cruciat. Cum Sartorio, Titio, Citerioris Hungariæ Prædicantes miracula ad sola Apostolorum restringunt, de aliorum deinde in sui testimonium trahendis, credo diffisi. Sed nec Apostolorum miracula pro se stare, eo probare Argumento possunt, quo non æquè uti valeat Calvinista, Socinianus, Anabapt. &c. in quantum ab ipsis dissident. adeòq; quamdiu aliud non adferunt, à Micrelij aliorumq; blasphemiâ non sunt eximendi. Patrata sunt autem plurium seculorum continuatione ad nos usque miracula, in eâ etiam primorum, quatuor seculorum Ecclesiâ, quæ missarum sacrificia peragebat: quæ Sanctorum colebat reliquias, patrocinia invocabat: fundebat pro defunctis preces: Sacerdotes per Episcopos consecrabat: Ecclesiæ Romanæ primatum & infallibilitatem fidei venerabatur, quæq; hæc, aliaque plura, verbo DEI docebat esse conformia, ut ipsissima Patrum miracula millenis attestantur suffragijs. De quibus plura invenies in Perronij collatione veteris Ecclesiæ cum hodiernâ hac nostra,

quam inferiùs à me adjectam invenies. Quod si autem, ut Prædicantes asserunt, in veritate Idololatria est, Eucharistiæ adoratio? cur Beguardis, Beguinis, Berengario, in testimonium hujus eorum doctrinæ, nulla è celo sunt data miracula? data sunt autem Catholicis, adorationem hanc ut DEO gratissimam frequentantibus? Si Sanctorum cultus & invocatio manifesta est superstitio? Cur DEUS in hujus doctrinæ suæ confirmationem vigilantio miracula negavit? non negavit autem Adversario ejus Sancto Hieronymo, & qui cum eo sentiebant, Catholicis? Si hominem sola fides justificat? cur ad hoc dogma stabiliendum Eunomio defuere miracula? non defuere autem Catholicis fide, tanquam fundamento, suppositâ, bonis operibus, spei, Charitatis, pœnitentiæ &c. vim justificandi tribuentibus? adeone DEUS, miraculis velut certis veritatis suæ sigillis eam nobilitat Ecclesiam, quæ secundum prædicantes Lutheranos, cum Ambrosio, Augustino, Hieronymo, &c. publicam exercebat Idololatriam? Beguardos contra Berengarium & Eunomium tanto testimonio destituebat, si vera illi docebant, & DEI verbo conformia? vide Lector, quam foedè Ministri tui Lutheranismum suum his responsis profituant. Sed pergamus.

Postulatum VI.

Postulavi sextò: ut legitimos se Prædicantes Lutherani Apostolorum Successores, præ alterius fidei Assesclis probarent, Argumento scilicet firmiore quam valeant illi, quos ut novos reijciunt.

Micrelius hîc infeliciter Criticum agit, quasi fidelium potiùs quam fide Successionem dicere debuisset, cum vera fides eadem sit cum fide Apostolorum, nec fides, ut ait, fidei succedat. Miserum, sanè Micrelius Philologum hîc agit. Transeat fidem objectivam, seu ipsa

ipsa veræ fidei Myſteria, eadem ſemper fuiſſe. Subjectiva certè, habitualis & actualis, quâ fideles ipſi credunt, non eadem ſemper, ſed diſtincta numero, in diſtinctis numero fidelibus, & ſucceſſiva fuit; niſi velit eundem, in omnibus fidelibus, numero actum & habitum fidei imperitè aſſerere. Rectè itaque fidem fidei, æqualem ſcilicet, ſucceſſiſſe debere dixi. Sed abrumpamus in-
 tempeſtivam hîc de vocibus litem; Quid ad ſextam propoſitionem reſpondetur? Cordatè impudens eſt Micrelius cum Titio & alijs, imò & malitioſè, dùm ſine vlla probatione ac veritate jaçant Lutheranos modernos ſucceſſiſſe Apoſtoliſ, & Apoſtolicorum virorum quatuor primorum Conciliorum Episcopis. Qui vel ſuperficie tenus lectione Hiſtoriæ Eccleſiaſtica conciliorum ac Patrum tinctus eſt, non à primis tantum quatuor ſeculis, ſed ab ijs ad nos vſque, mille inveniet Teſtimonia, imò omnium plane ſeculorum conſenſum (ſi ambiguas paucorum ſententias, cum totis eorum operibus noverit conferre) de merito bonorum operum, de Sacrificio Miſſæ, de Invocatione Sanctorum, de purgatorio, de arbitrario uſu alterutrius ſpeciei venerabilis Sacramenti (quamdiu nihil de eo erat præceptum) de auctoritate & primatu Eccleſiæ Romanæ, de ordinatione Episcoporum, Præbyterorum, de ſeptem Sacramentis. Ita vt malitioſam Gerardi Titij diſſimulationem ſatis admirari non poſſim, dum in opusculo ſuo contra Illuſtriſſimum Comitem Truchſeſium vaniſſimè jaçant, voculam *Septem*, non inveniri in Sanctis Patribus quatuor primorum ſeculorum. Quid enim? impudens impoſtor, & malitioſè mendax ſimplicium Seductor animarum & paries dealbate! an audes negare Sacramenta illa quæ Romana Eccleſia fidelibus adminiſtrat, quorum nec pauciora nec plura ſunt quam ſeptem, non inveniri omnia & ſingula in Concilijs & Patribus primorum quatuor ſeculorum? eſſi numerum expreſſè non exprimant, quem nemo ſcilicet in controverſiam vocabat? inſpice ſubjectam inferius à me collationem Perronij veteris Eccleſiæ cum noſtra hac, & niſi mendax eſſe vis, hanc mendacij convince, ſi potes. Micrelium, Lector, eodem dignum Lixivio agnoſces, ſi primorum quatuor ſeculorum conſentientia teſtimonia diligenter, eo, qui dixi, modo, ſincero animo inſpicias; Magis verecundè, ſed non meliori
 funda-

fundamento respondent alij, se Luthero successisse in Ecclesia Romana ritè in Presbyterum ordinato, ex quorum confessione evincè evidentè, ad Lutheri vsque tempora in Romanâ Ecclesia legitimam fuisse ab Apostolis fidei & Sacerdotum Successionem, & in ea ritè ordinatos Sacerdotes, & ordinari adhuc, quia à Lutheri temporibus nihil in ijs mutatum est, adeoq; legitimam nobis fidei successionem concedi, quod accepto: contrà, post Lutherum apud Lutheranos nullam fuisse legitimam ab Apostolis successionem, nullum ritè ordinatum Presbyterum; quia apud illos nemo mittitur, nemo ordinatur, vt Lutherus agnoscitur ritè ordinatus, vnde necessario sequitur tunc successionem legitimam esse interruptam; Viden' Lector, quantum ad rem faciat Lutheri ab Ecclesia Romana facta in Sacerdotem ordinatio? quam nihil Prædicantes tui fidei successionem ad Apostolos producant? Lubeat tamen postremò successionem hanc tantisper dissimulare. Vbi tandem manet proprium illud Lutheranis, quod petebatur Argumentum, ne quælibet Hæresis, in quibus Lutheranis Adversaria est, & ab illis vt à veritate devia & novella damnatur, æque ac Lutherani hanc valeat successionem prætere, adeoque Christum & Apostolos Calvinistas, Anabaptistas, &c. facere, quia ab Ecclesia Romana ritè ordinatos Sacerdotes, antesignanos habuit.

Postulatum VII.

Postulavi septimò, vt probarent Lutherani Prædicantes Ecclesiæ Romanæ reformatæ munus sibi à Deo præ ceteris sectis, quas abominantur, delatum.

Respondent: ideò delatum præ ceteris Luthero & sibi hoc reformati munus, quia se legitimè vocatos probassent, vtpote qui Luthero successissent, à Romanâ Ecclesia ritè ordinato. Si hoc fundamentum est vocationis legitimæ Lutheri, quod in Romana Eccle-

sia sit ritè ordinatus Sacerdos? quomodo Deum immortalem! Lu-
 therani Prædicantes ostenderunt se legitimè vocatos, quando illi
 minimè vt Lutherus ordinati sunt? Deinde si Lutherus ritè à Catho-
 licis Ordinatus & missus est, quæso ad quid à Catholicis ordinatus
 vocatusq; fuit? certè ad aliud non, quàm ad missas celebrandas, pro
 vivis ac defunctis, quàm ad absolvendum pœnitentes per Sacramen-
 talem absolutionem, ad Scripturam Secundum mentem Ecclesiæ &
 consensum Patrum explicandam, ad castitatem servandam, &c. quis
 igitur vocavit illum ad missam abrogandam, Sacramenta quædam
 proscribenda, confessionem auricularem tollendam, scripturam,
 corrumpendam, secundum suum cerebrum explicandam, &c. certè
 non Romana, quæ eum Sacerdotem fecit, & vocavit, Ecclesia. Quis
 enim vel tam stultus est, vt credat principem aliquem Legatum mit-
 tere, vt se impugnet, suum Regnum evertat? vel tam stolidus, vt fi-
 dem habeat legato, hæc tam absurda affirmanti? ab Ecclesiâ igitur
 Romanâ frustra se missos Lutherus & Lutherani asserent. An imme-
 diatè à Deo? sed vnde huic immediatæ vocationi suæ fidem faciunt?
 & eo quidem modo, vt non æquè se missos probare possint, qui Lu-
 thero contraria & sentiunt & docent? inter homines sanè nemo le-
 gatus agnoscitur, nisi Principis sui Testes secum litteras adferat. Vbi
 verò est in Luthero vitæ Sanctitas? vbi doctrinæ ad Christianam
 perfectionem ducentis eminentia? vbi miracula? quæ illam à Deo
 immediatè factam vocationem ad tam grande opus, quale erat Ec-
 clesiæ, si superis placet, reformatio, prudenter faciant homini pru-
 denti credibilem? Plus profectò hîc sibi cum suo Luthero Prædi-
 cantes tribuunt, quam Moyses sibi apud Pharaonem, quàm omnes
 veteris testamenti Prophetæ, quàm Apostoli, quàm ipse Christus;
 nec enim illis Deus nec sibi Christus fidem adhiberi voluit, sine suffi-
 cienti missionis suæ ad rem tantam, testimonio; Præter doctrinæ
 enim perfectionem rectæ rationi omninò conformem, præter mo-
 rûm integritatem, vitæ Sanctimoniam, Prophetarum testimonia, &
 Illi & iste plurima adjunxere miracula. Horum cum nihil adferant
 Lutherani Prædicantes, sed nec adferre possint, adeò tamen stolidi
 sunt, vt stultè sibi credi velint, Lutherum immediatè à Deo missum,
 nec aliam adferunt rationem, quàm quia ipsi dicunt, & ita dicunt,

ut quilibet æquè pro se dicat, qui fuit vnquam Hæresiarcha. Sed miracula sibi non deesse affirmant aliqui, qualia obsecro? quod Lutherò pauperulo Monacho adhæserint Principes, Reges, Provinciæ, Regna, an non grande miraculum hoc fuit, & adhuc est? ita est, & ferè tam grande quidem, quàm fuit olim illud Arrij, quando torus propemodum orbis S. Hieronymo teste intra brevissimum tempus mirabatur se Arrianum esse. Quin est Turcas ipsos quis jam cum Lutheranis, miraculosos neget, quorum Secta tantis tam diu floruit incrementis? Carni & Sanguini delectabilia docere, & asseclarum turbis affluere, nec mirum quidem multò minus miraculum est. Mirèlius hîc de sua credo vocatione anxius, cum alijs putat me idem petere quod propositione secunda, sed cum alia sit vocatio ordinaria prædicandi, & alia longè ac multò plus extraordinaria, Ecclesiam Dei reformandi; plus hîc petitur, quàm postulato secundo, sed qui in secundo puncto ordinariam vocationem suam probarunt nihil, in hoc minùs etiam quàm nihil effecerunt.

Postulatum VIII.

Postulavi octavò: ut Lutherani probarent è Scriptura, universalem, visibilem Dei Ecclesiam interire, & inferorum portas contra illam posse prævalere.

Langius quasi verba mea clarissima non intellexerit visibilem ait Ecclesiam errare posse, non posse invisibilem. Sed nunquid ego de visibili & vniversali quærebam? ad quid igitur otiosa illa Langij distinctio? Deinde probari petiveram, quod visibilis Ecclesia Dei errare posset idq; ex scriptura, non autem nudè affirmari. Discat igitur quam falsum affirmet, vel ex his Scripturæ locis, Isai. 59. dicitur: *Verba mea, qua posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, & de ore seminis tui, à modo, & vsque in sempiternum.* ibid. c. 62. *Super muros tuos, ò Ierusalem constitui custodes, totà die ac nocte in perpetuum non*

eacebunt. & c. 61. *Scient in gentibus semen eorum & germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint eos, agnoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* & c. 54. *Noli timere quia non confundaris nec erubescas.* & c. 60. *Erit tibi Dominus in lumen sempiternum, & Deus tuus in gloriam tuam: non occidet ultra sol tuus, & luna non minuetur.* Et postquam dixisset Isaias Ecclesiam non confundendam, quod ipsius fundamenta, & propugnacula locanda sint in Saphiris & Iaspide. Subdit. c. 54. v. 7. *Omne vas quod fictum est contra te, non dirigetur, & omnem linguam resistentem tibi in iudicio, condemnabis:* & Matth. 16. *Super hanc petram adificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Item Joan. 14. *alius Paraclitum dabit vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in aeternum.* & c. 16. *Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quid adhuc Ministri Lutherani? verba DEI recessisse ab Ecclesia, quando eam Lutherus reformavit, quasi pro Evangelio habent: obmutuisse custodes Jerusalem: periisse semen cui in gentibus benedixit Dominus: factam Ecclesiam invisibilem, neque scitam in gentibus, neque multis ante Lutherum annis cognitam: erubuisse, quando eam Lutherus deprehendit meretricem Babyloniam: occidisse illi solem veritatis: portas inferi adversus eam praevaluisse: Spiritum sanctum ab ea recessisse: eam à Spiritu Sancto non esse doctam semper omnem veritatem. Hæc inquam contra Prophetarum, & Christi promissionem accidisse usque ad Lutherum ajunt Ecclesiæ visibili, non alio nisi fundamento quàm quia illi & Lutherus ajunt. atqui errasse affirmant adeoq; & errare potuisse, cum infallibilis sit ab actu ad potentiam argumentatio. Affirmant, scio, quod si æquè probarent rem factam tenerent manibus. ego verò affirmantes illos mendacij teneo, nisi quod affirmant, probent, & ipsi quidem testimonijs ac argumentis, quibus à Bellarmino, Becano alijsque non sit centies satisfactum, ea sola producant in medium si viri sunt, omittis alios, ne eadem semper crambe recoquenda sit. cum Hulsemanno Titius alijque nihil dicunt contra nos, qui æquè tenemus particularem qualemcunque Ecclesiam, ut particularis est, errare posse, negamus autem eam quamdiu cum universali conjuncta manet sub universali Pastore & legitimo Petri successore, errare posse, à qua errando eo

ipso separat sese : sic aërem si concipias , ut illuminatum à Sole, in sensu composito ut sic, non potes dicere esse capacem tenebrarum, licet in sensu diviso earundem sit capacissimus. Romana igitur Ecclesia ita particularis seu Romana est, ut simul universalis sit, quatenus ab illo Pastore regitur, cui universalis Ecclesiae cura demandata est. Sartorius quam stupidum former Syllogismum hic in §. 4. Videte quæso & ridete, nihil enim probat, nisi quod singula Ecclesiae membra errare possint, quod sicut nemo negavit, ita nemo probari petijt. Placet etiam quod ingenuè fateatur imò firmiter asserat, Lutheranam suam Ecclesiam mutabilitatem pati. Cum Citerioris etiam Hungariae Lutheranis Sartorius multa imperitè de Ecclesiae visibilitate, ad quæ, dicta habeant, quæ Langio respondi, quibus hoc etiam addo, quod illi docentes visibilem Ecclesiam in fide errare posse, nullum de sua fide possint reddere securum, qui enim illis adherent, qui errare possunt, unde certum facient quod de facto non errent? Hoc concedo tamen, quod Lutheranorum qualiscunque Ecclesia ante Lutherum tota quanta fuerit invisibilis. Dicant enim si possunt Lutherani, non dico Regnum aut Provinciam, sed vel civitatem, pagum aut familiam privatam vel unicam, tam in petendo moderatus sum, quæ ea omnia fidei capita, in quibus à Romano Catholicis Lutherani dissentiunt, non dico docuisse, sed vel tenuisse, probari possit. Quod cum nequeant, sequitur Lutheranam, quam ita ipsi appellant Ecclesiam, ante Lutherum nec ullo loquendi modo fuisse visibilem, hoc verum fateor ex varijs Hæresiarcharum erroribus surreptos veluti centones, Lutherò pro novello cœtu suo discolorè pallio exornando inservivisse, quæ varietas ita etiam ejus discipulis placuit, ut omnibus sui Patriarchæ Centonibus, etiam noviter excoGITATAM ubiQUITATEM, tanquam operi adhuc imperfecto assuere non dubitarint. Sed dum ad octavam propositionem solidi aliquid responsi expecto, ad nonam progredior.

Postu-

Postulatum IX.

*Postulaveram nono : ut probarent Luthe-
rani Prædicantes aliam Ecclesiam ab illa quæ
supra Petram ædificata & per Pontifices Ro-
manos S. Petri Successores continuata (quam
Romanam vocamus) Gentibus Evangelium
annuntiasse, per Baptismum Christo conciliasse,
subnascentesque Hæreses per Concilia, & Syno-
dos judicasse & condemnasse.*

Responderunt Prædicantes varij variè, ad rem, nullus,
Micrelus & Hulsemannus iterum circa significatum Ecclesiæ
Romanæ calumniosè se torquent, vt respondiisse videantur.
Nunquid propositio mea clara est, quando illam nomino Ecclesiam,
quæ sub Petro & ejus Successoribus comprehensa gentes docuit?
nunquid clarè satis univèrsalem indico? quid igitur huc facit illa
Micrelij & Hulsemanni particularitatis & univèrsalitatís distinctio?
Reinboth ait doctrinam Evangelicam esse gentibus annunciatam,
adeoque Lutheranam, quam Evangelicam dicit: hoc verò in qua-
stione cum sit stultè pro responso datur. Primis etiam quatuor Con-
cilijs Lutheranam Religionem confirmatam cum Reinbotho Sartori-
us asserit, quodnam verò fidei Lutheranae dogma, in quo à Ca-
tholicis Lutherani dissentiant, in quatuor primis Concilijs confir-
matum est? quod cum ostendi nequeat, quomodo tam crassa men-
dacia vendere non erubescunt? Micrelus multa de particularibus
variarum Ecclesiarum Synodis, infcio Papa celebratis & de varijs à
particularibus Ecclesijs ad prædicandum Gentibus Evangelium mis-
sus, non requisito Papa Romano, jactabundè profert: sed quid ita

ad meam propositionem? sperabam Micrelium potuisse inter missionem mediatam & immediatam distinguere. Deinde probare debuisset, cum Micrelio Titius particulares illas Ecclesias, quæ ad gentes vocandas ablegarunt fortasse, non fuisse à S. Petro aut Romano pro tempore Pontifice dependentes. Deniq; licet varias Synodos Provinciales celebrari, in ijsque Hæreses damnari posse non negemus, negamus tamen tales Synodos infallibilem habere decidendi, damnandi; autoritatem, sine Romani Pontificis, & vniuersalis Pastoris approbatione, sine quâ nulla vnquam Concilia pro legitimis ab Ecclesia & SS. Patribus sunt agnita. Esto etiam Hierosolymitana gentes vocaverit ipsamq; adeo Romam, an ideo vocatio illa & missio non dependebat, fiebatq; dependenter ab vniuersali Ecclesiæ Pastore? Sartorius principalem conversionem Gentium dicit esse à Spiritu Sancto. Quis hoc vnquam negavit? aut vbi hoc in meo postulato petitur? Citeriores Hungari pulchrè argumentantur scilicet, dum ajunt: omnes Ecclesiæ ab Apostolis fundatæ gentes docuerunt, non ergo Roma est mater omnium, quia ipsamet quoque filia est Hierosolymitanæ. Obtorto iterum collo consequentiam trahunt, ex præmissis eam non inferentibus, eadem enim Romana Ecclesia vt particularis est, etiamsi posset filia dici Hierosolymitanæ quando Hierosolymitana præerat Pastor vniuersalis, quando tamen idem ille vniuersalis Pastor Hierosolyma deserta sedem suam Romam transtulit Hierosolymitana Ecclesia, retento particularis Ecclesiæ nomine, alteram vniuersalis denominationem amisit quæ deinde Romanæ ita accessit, vt licet maneret particularis, simul tamen Romana Ecclesia vniuersalis Ecclesiæ nomen ideo accepit, quia cum ea omnes aliæ particulares per modum dependentiæ conjunctæ erant, propter S. Petrum vniuersale omnium Ecclesiarum caput, id quod in gratiam Citeriorum Hungarorum pro explicatione dictum, sit satis, ne cui per Confusionem, partialis & vniuersalis Ecclesiæ tenebras offundant, cum respondere nesciunt. Quomodo autem Legati Pontificij primis quatuor Concilijs, & qua cum autoritate interfuerint melius id scire velle videntur hujus temporis Citeriores Hungari, quam ipsamet testentur Concilia, & eorum temporum testes SS. Patres, Quis igitur hæc responsa non videt falsa esse proprii cerebri

commenta? sed ad propositum redeamus. Quasi veram vt offe-
 rent Prædicantes ab aliâ Ecclesiâ gentes vocatas, Hæresesq; damna-
 tas, quam à Romanâ vniuersali, hoc est ab aliâ, quam quæ missas ce-
 labravit, septem Sacramenta re ipsa administravit, Sanctos coluit &
 invocavit, pro defunctis oravit. Certè in Germaniam quando fides
 illata est, moderna hæc Catholicorum dogmata illata esse, & à ma-
 joribus Sanctè credita, testantur SS. Episcoporum historiæ, Monaste-
 riorum piæ foundationes, templa antiquissima, Altaribus, Reliquijs,
 imaginibus exornata, antiquissimæ, quæ apud multos Lutheranos
 adhuc supersunt Sacerdotum vestes, missarum Libri & mille hujus-
 modi alia. Quis verò ratione vtens credat, Deum Germaniam hanc
 nostram ex Gentilismo, & ab vnâ veluti Idololatria, ad novam aliam
 falsam, supersticiosam, idololatricam fidem miraculorû etiam testi-
 monio, vocasse, quando viri Sanctitate Illustres ad majores nostros
 Christi fidem intulerunt, eandemq; per Episcopos & Sacerdotes Ca-
 tholicos à plus quàm octingentis annis ad nos vsque propagarunt?
 Eant nunc Prædicantes ad omnes gentes, quæ ad Christum adductæ
 sunt, & ostendant unam earum aliquam ex Gentilismo ad eam fidem
 accessisse, quæ sanctorû venerationem & cultum, quæ missas, Episco-
 pos, Sacerdotes, deprecationem pro defunctis rejicit ac damnat. quæ
 duo tantum Sacramenta tenet, quæ visibile caput Ecclesiæ nullum,
 agnoscit. &c. Verbo quæ Lutherana est, & ea omnia tenuit, in qui-
 bus nunc à Romanâ Ecclesiâ Lutherani dissident. Miror Christum,
 purissimi verbi sui, per Lutheri cerebrum percolati, Præcones Lu-
 theranos, ad Apostolicum hoc tot gentium convertendarum munus
 non delegisse, poterat enim eos multis ante seculis excitare, per quos,
 illimem, limpidumque Evangelij succum Pontificiorum errorum sor-
 dibus, ac traditionem humanarum fœcibus nondum inquinatum,
 tot populi primum imbiberent. Sed nimirum in hæc ultima tem-
 pora tantos viros divina providentia reservabat, ut, de quo Langius
 gloriatur, Islandorum, Grunlandorum, Finnoꝝ & Lapporum
 nonnullos, novo suo imbuerent Evangelio. Sed miror iterum hos
 Lapporum Apostolos non advertisse, hic quoque more suo in Ec-
 clesiâ Romanæ messem se furacem falcem immisisse, quæ multò antè
 Borealibus Barbaris illis Evangelium intulerat. Nec obstat, non
 omnes

omnes fortasse cōversos esse, aut veriùs ad vomitum reverbos, vt non ideo Gentium illarum primitias Romana Deo, præ Lutherana, obtulerit Ecclesia, & sic proceditur ad propositionem decimam.

Postulatum X.

Postula veram decimò: vt probarent Lutherani Prædicantes ab Ecclesia Romana aliquem fidei articulum tradi: qui contra expressum Dei verbum esset.

Petiveram postulato hoc; ut quandoquidem Prædicantes Lutherani ad ravim usque puri puti verbi DEI se Ministros clamitant, & purum putum se jactant, suis proponere Dei Verbum, ostenderent denique aliquem fidei Romano Catholicæ Ecclesiæ articulum puro puto huic Dei verbo contrarium: ubi frivola aliquorum objectioni obviam ire volui, & ostendere non omnia Pontificum sensa, dicta Scripta, &c. Ecclesiæ Dei esse pro oꝛaculis, aut pro fidei articulis haberi: sed illa tantum quæ Pontifex, ut caput Ecclesiæ, proponit & ex Cathedra jubet totam Ecclesiam tanquam articulum fidei credere, facitq; quodammodo juris publici. Sic enim aliquid proponēs, si errare posset, exhaustæ essent Christi promissiones, & nihil in fide certum. Pontificem autem posse in aliquo libro à se scripto, in verbis à se prolatis in privato aliquo suo iudicio errare & labi, nullo errandi periculo exponit Ecclesiam Dei, quia privata talia Pontificis sensa, dicta scripta, non aliter accipiuntur ab Ecclesia, quam quæ sunt Juris privati, & à privato aliquo Doctore profecta. & quia ad Prædicantes miseram duodecim illa postulata, credideram eos mihi tractandos, ut illi tractari solent, qui se Theologos jactant: hoc est terminis rem proponendam Theologicis, quos quia video eruditos scilicet Prædicantes, non intelligere, explicabo eos paucis: cum igitur dixi Divino & nunquam variante iudicio: è publico suggestu, è Cathedra divi Petri, de jure communi & universo errare pontificem

non posse, ut hominem autem & Doctorem privatum, privato sensu, dictis, scriptis, in facto & jure privato ab errore non esse immunem: rem eandem varijs terminis proposui, qui pro varietate legentium, varijs, sed tamen viris doctis non inusitatis, loquendi modis idem explicarent. Unde prudens Lector facilè videbit, quàm sint frivolæ, rudes & malitiosæ Micrelij Cavillationes, & quare verba quædam, idem varijs terminis exprimentia, è Germanico Exemplari, tanquam rudioribus proposito, omiserim. Pergit Micrelius, ut forum declinet, credo, ex hac meâ propositione aliam novam sibi proponere. An scilicet Romana Ecclesia seu Pontifex articulum quædam fide divinâ credendum possit proponere? ubi placet mihi, quod concedat Ministerialem saltem hominis auctoritatem, quam tamen nos talem dicimus, ut propter Christi promissiones in Divinam resolvatur. Erratque plurimum Micrelius si putat, nos Catholicos credere aliquid fide Divinâ, quod non sit explicitè vel implicitè revelatum, & ex verbo DEI deductum. His præmissis tandem Micrelius propositionem decimam aggreditur. Vide vulpeculam Lector. Effugium Micrelius quærit, cum resistere respondendo non potest. Dicit: neque orthodoxos olim Nestorium aliosque Hæresiarchas dixisse è formalibus scripturæ textibus verbotenus allatis erroris convincendos. quid verò hoc Micrelio & Lutheranis Prædicantibus patrocinetur? qui solam Scripturam, purum purum DEI verbum plenis semper buccis crepant, idque volunt se solo sufficere ad errores confutandos? hoc fundamentum si deserant Prædicantes, vide Lector, quæ dixi ad propositionem tertiam & quartam, & totam Lutheranam fidem invenies aliud non esse, quàm cerebri Prædicantici. Idolum, meque jure in hoc postulato textum scripturæ requirere, & clarum quidem, cui vel unum fidei Romano-Catholicæ articulum expressè ostendant esse contrarium: frivole autem Micrelium, aliosque cum illo plures declinare forum. quia tamen subsumptiones Micrelius admittit, in propositione undecima proprius erit de ijs agendi locus. Remittit deinde me ad confessionem Augustanam, & locos peritos ex Scriptura alibi inveniendos. hoc scilicet est, respondere hîc ad quæstionem? ad calumnias ejus reliquas, Bellarmini, Gretzeri, Cottoni stylo multoties confossas, non dignor

hic respondere, quia ad propositam à me quæstionem non faciunt. Citeriores Hungari ne verbo quidem hanc propositionem attingunt, cum tamen respondere se præferant. Reinbotus, præterquam quod prorsus imperitè dicit: quicquid præter Scripturam est, esse contra illam, nihil ad propositum respondit. Sartorius tanquam fidei Articulum adducit auctoritatem Pighij dicentis: Contra Hæreticos non esse disputandum ex Scriptura. quis non rideat hanc responsionem? deinde tanquam aciem in adversarium educturus, adducit articulos illos Catholicos, S. Scripturæ, ut ipse putat, contrarios. ex hæc enim adducit 1. illud 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus IESVS.* Catholicos autem dicit ponere aliud fundamentum scilicet Papam. 2. Psal. 119. Verbum DEI dicit Lucernam. Romanam Ecclesiam dicere illud esse obscurum. 3. Sacram Scripturam dicere: legem esse jugum, quod neque nos, neque Patres nostri portare potuimus. Actor. 15. Ecclesiam autem Romanam dicere: legem esse portatu facilem. 4. Scripturam dicere: *Ei qui non operatur sed credit in eum qui justificat impium, fides sua imputatur ad justitiam.* Rom. 4. v. 5. Ecclesiam Romanam proponere: Ei, qui operetur, opus mereri justitiam. 5. Scripturam dicere: *Bibite ex hoc omnes.* Matth. 26. Ecclesiam Romanam dicere: *Bibite soli Sacerdotes.* Titius addit: 1. Scripturam concedere conjugia præbyterorum, Romanenses vetare. 2. Scripturam docere: Christum semel oblatum, unicam ejus oblationem factam. Romanenses negare unicam Christi satisfactionem, concedere plures. 3. Scripturam docere concupiscentiam esse peccatum: Romanenses negare, & plura alia collectivè dicit esse Scripturæ contraria. Sed nullum adfert locum, quo id, vti petiveram probet. Deinde retorsione vitur Sartorius, petitq; ostendi sibi illud Lutheranum dogma, quod Scripturæ adversetur, credo si legisset contradictiones doctrinæ Lutheri & Christi à me in appendice ad nihil ad rem editas, hoc porrò non peteret. Deniq; Sartorius putat, me credere Spiritum Sanctum ita esse affixum folio Papæ, sicut Spiritus familiares annulis. Ego verò id minimè credo. An verò Sartorius aliquem Spiritum familiarem habeat, qualem Lutherus fatetur fuisse eum, quo cum de missa ab-

rogan-

roganda familiariter egit, & de quo, in tomo 1. Jenensi Lutheri, de
 disputatione ejus Lipsiæ cum Eckio habita, mentio fit, ipse sciet.
 Sed ad citata ejus Scripturæ loca accedamus, videamusq; quàm
 aptè ijs ad rem responderit. Primò certe nihil probat, neque enim
 nos Catholici aliud fundamentum Ecclesiæ Christo æquale & simile,
 præter Christum ponimus; nec huic contrarium est, superædificari
 fundamento lapides alios, licet non æquè, secundarios tamen fun-
 damentales Ordinis Christo longè inferioris. Secundò, minus etiam
 nihilo adfert: nunquid enim idem propheta dicit? Ps. 118. *Revera*
oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. & Actor. 8. Eunuchus
 Candacis dicebat: *quomodo possum intelligere, si non aliquis ostende-*
rit mihi. & 2. Petri. 3. apertè dicitur, in Epistolis Pauli esse *quodam*
difficilia intellectu, qua indideli & instabiles depravant, sicut & ceteras
scripturas. plura si desideres Lector, vtiliter de hac materia leges in
 Antidorscheo Joannis Abbatis Etlingensis, &c. in 3. Christum blas-
 phemo calamo mendacem facit, qui jugum suum suave dicit, & o-
 nus leve, deinde ostendit se stupidum aut malitiosum, dum, loco ab
 eo citato, de circumcissione & ceremonialibus legis antiquæ agitur,
 ille verò de 10. præceptis accipit, quod quilibet vel levissimè scientia
 scripturæ tinctus facillè videt. Habes hoc pluribus apud Becanum,
 in analogia veteris & novi testamenti. In 4. falsum impingit Catho-
 licis, quasi illi negent fidei justificationem, quam ex loco citato con-
 cedimus. Falsam deinde consequentiam implicitè ex eodem loco in-
 fert; vult enim inde concludere, quod sola fides justificet, quod in
 illo loco nec dicitur nec inde concluditur; cum caput illud & ante-
 cedentiã legens, facillè videre possit, Apostolum ibi loqui de ceremo-
 nialibus legis antiquæ, quæ ad justificationem internam nihil facie-
 bant. Taceo mille alia scripturæ sacræ loca pro meritis bonorum o-
 perum, quæ superfluum est huc congerere. In 5. quoque loco citato
 frustra sudat Sartorius. Non enim negamus Christum dixisse Disci-
 pulis tunc præsentibus: *bibite ex hoc omnes;* sed plus etiam con-
 cedimus & fâtemur, nempe bibisse ex eo, calice scilicet, omnes illos
 ad quos dicebat *bibite omnes,* quæ verba alius Evangelista sic addu-
 cit: *dividite inter vos.* Nihil ergo dicimus Catholici contra locum
 hunc, Scio libenter Sartorium velle ex hoc loco præceptum trahe-

re; verum hoc opus, hic labor est irritus Lutheranorum, cum Christus verbis illis: *& vos debetis alter alterius lavare pedes*, exemplum enim dicebat idem se dedisse Christus, neque hoc tamen faciunt Lutherani; idem quia præceptum non agnoscunt, quamvis Christus verbo magis præceptivo utatur hic, quam loco priorē. Titius nugas agit: neque enim scriptura, nec Christus permisit contra proprium & liberum votum aliquid agere, adeoque nec Sacerdotibus Vxores ducere, qui liberè voverunt se non ducturos. Neque 2. ex eo, quod Christus semel oblatus in ara Crucis, cum Sanguinis profusione & dissolutione unionis illius, quæ fuit animam inter & corpus, secundò moriturus non sit, nullâ sanæ consecrationis apparentiâ inferri potest, Christum in Missæ Sacrificio, non posse secundò, centies, millies offerri, oblatione incruentâ, quod non tantum traditione & millenis primorum seculorum testimonijs homini sanæ mentis extra dubium existit, contra quæ oggannire nihil prædicantes possunt, nisi proprij cerebri deliramenta, & quæ à Patre diabolo Lutherus familiari usu se hausisse fatetur. Quod de vnica addit Christi satisfactione à Romanensibus negata, non intelligit Titius fidei mysteria; discat, si capax est, quid Catholica de hac re teneat Ecclesia. Docet enim illa, Christi plurima opera fuisse infiniti valoris & singula sufficientia ad totum mundum, imò & plures, si fuissent, liberandos, in quantum autem secundum infinitæ misericordiæ Dei beneplacitum, placuit illa omnia in vnum quasi collecta consummare in ara Crucis per mortem, vnica fuit collectivè, Christi satisfactio, cæteroquin multiplex & absque decreto hoc misericordis Dei, sine mortis salutari complemento, sufficientissima. Dicat contra aliquid si potest Titius. Concupiscentiam ait in scriptura dici peccatum. Stupor est, si sic Dei verbum intelligit, quasi concupiscentia in actu primo & indeliberatus motus peccatum sit; cum S. Iacobus dicat clarè: *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem*. Tædio lectori sim, si quisquilijs hæc Titianas pluribus prosequar. Expecto igitur ad decimam propositionem Prædicantium aliud, ad rem faciens, responsum & progredior ad vndecimum.

Postulatum XI.

Postulaveram undecimo; ut seclusà opinione fallaci & sensu privato, per legitimam consequentiam probarent Lutherani Prædicantes, ab Ecclesia Romana articulum quempiam divina fide decretum, & credendum publicè propositum, qui verbo Dei divinisq; litteris repugnet, idque argumento, quod nec positivè nec negativè solatum est.

Multas hîc & superiori propositione varij Prædicantes loco responsionis calumnias obtrudunt de Pontificibus; hoc quasi, ut adhuc clariùs me explicem, quare Lutherani reiiciant 7. Sacramenta, invocationem & venerationem Sanctorum, missæ Sacrificium, deprecationem pro defunctis, communionem Laicorum, sub vna specie panis tantum, aliâq; modernæ Ecclesiæ Romanæ dogmata conformia scripturæ, antiquissimæ Ecclesiæ Christi, traditionibus, SS. Patrum testimonijs; cum nullum hujusmodi Ecclesiæ nostræ dogma, fidelibus fide divina credendum propositum, probare possint Dei verbo vel expresse & explicitè, vel implicitè contrarium: vnde inferendum remanebat, Lutherum ac Lutheranos Prædicantes, stultè, temerariè impiè recessisse, & fideles abduxisse ac abducere ab Ecclesiæ unitate, ad Hæreses ac periculum æternæ damnationis, quod si non possint in sui defensionem adducere clarum aliquem è Scriptura textum, quod decimo postulato petiveram, ex aliquo saltem textu etsi non expresso nec claro, per legitimam tamen consequentiam id evincant, quo Lutherum suum à turpi apostasia, se verò ab infami Hæresi absolvant; per nihil enim fallaces opiniones, & privati sen-

sus errores, facilius deteguntur, quàm vel per clarum Dei verbum, vel per legitimam ex verbo Dei consequentiam. Hæc mea postulatione, quàm iusta sit, facile videt, qui veritatem amat; ab hac postulatione frustra deflectere conatur Hülsemannus, calumniando Pontifices: frustra Titiùs ad alios remittere, cum qui hoc præstiterint, nulli sint, sed nec esse possint: frustra retorquere Sartorius, cum respondere nequit, si tamen Lutheranas contradictiones desiderat, legat de ijs, die *Nieve Lutherische Hausstaffel*/ quam non ita pridem ijs adornavi. Frustra & imperitè Reinbothus asserere omnes consequentias, qualescunq; scilicet eæ sint, ideò esse contra scripturam, quia præter eam sunt. Frustra Micrelius Keddium ad Augustanam Confessionem remittere, illa enim, præterquam quod multa asserat, nihil autem contra nos probet, etiam nobiscum facit. Quam enim Confessionem Augustanam Micrelius allegat? variatam aut invariata? integram an mutilam? promat quam vult, & ex ea quidquid vult, non abnuo. Duo tamen notari velim ne seducaris Lector. primùm solas ab ea confessione productas scripturarum citationes non statim damnare Catholicos (nam & Diabolus contra Christum scripturam in aciem produxit) nisi simul probet sensum, eum, quem è verbis scripturæ elicit, non è proprio cerebro confictum, sed à Spiritu Sancto esse intentum, & conformem primitivæ Ecclesiæ ac consentientibus sanctorum Patrum Interpretationibus: alterum: ut si fidem Micrelius haberi Augustanæ Confessioni vult, ipsemet illi eam adhibeat, vbi illa pro Catholicis clarè loquitur. Illa enim artic. 21. hoc habet. *Hac summa est doctrina, qua in Ecclesijs nostris traditur, & consentaneam judicamus & Prophetica & Apostolica Scriptura & Catholica Ecclesia, postremò etiam Romana Ecclesia, quantum ex probatis Scriptoribus nota est. Atque idem iudicaturos esse speramus, omnes bonos & doctos viros. Nec enim aspernamur consensum Ecclesiæ Catholicæ, nec nimis nobis ullum novum dogma, & ignotum Sanctæ Ecclesiæ, invehere in Ecclesiam, &c.* ostendat nunc Micrelius Romanam Ecclesiam aliquid tanquam articulum fidei tenere, aut tempore Lutheri tenuisse Dei verbo contrarium vel explicitè, vel implicitè? Augustana sanè confessio, Romanam Ecclesiam quantum ex probatis Scriptoribus nota est, fatetur esse conformem Scripturæ

Prophetica & Apostolica, si enim secundum illam Confessio Augustana conformis est isti Scripturæ, & etiam Romanæ Ecclesiæ, evidenter sequitur etiam Romanam Ecclesiam isti Scripturæ esse conformem. nunquam tamen ego concesserim Augustanam Confessionem scripturæ Prophetica & Apostolica ac Ecclesiæ Romanæ esse conformem. Vbi enim vel ab illis, vel ab illa damnata est missa? reprobata invocatio & cultus Sanctorum? Reliquiarum, imaginumq; Sacrarum veneratio? deprecatio pro defunctis? vbi septem Sacramenta rejecta? Iustificatio soli adscripta fidei? verba illa, *bibite ex hoc omnes*, pro præcepto Christi, ad dandam sub vtraque specie communionem Laicis, agnita vnquam in Ecclesia fuere? vbi Christi in Eucharistia, publica adoratio pro Idololatria habita? vbi explosæ indulgentiæ? Hæc inquam ex Scriptura postulaveram legitima consequentia probari, esse contraria Dei verbo, idq; adhuc petere non desisto. Citeriores Hungari propugnant sensum proprium ac privatum, & rectè faciunt, quia privatus sensus totum est illorum Ecclesiæ fundamentum. Addunt deinde per textum illum: *bibite ex eo omnes*: damnari missam, &c. per locum illum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, damnari Invocationem Sanctorum, denique ajunt Scripturam duo tantum loca post mortem assignare, ergo purgatorium tanquam locum aliquem tertium esse contra scripturam. Hæc scilicet Prædicantibus sunt familiares consequentiæ, tam claudæ, vt eodem quo surgunt, vestigio suâ sponte corruant, nec erigi vnquam sine novo lapsu possint. Consequentiam legitimam petiveram, non spuriam, non claudam, quales hæc sunt, millies in terram prostratæ. Nunquid enim ideò petiveram eam è scripturis deduci consequentiam, quæ non ad nauseam ab alijs tanquam falsa demonstrata sit. Alioqui nullus erit Prædicantibus nugandi, fallendi, seducendi finis. Eam igitur expecto adhuc, & progredior ad duodecimam propositionem.



Postulatum XII.

Postulaveram duodecimò: Ut Prædicantes Lutherani, Lutherana sua dogmata, prout opposita Romano Catholicorum & aliorum dogmatis, speciali quopiam argumento probarent ad salutem consequendam, præ his esse certiora.

Nullibi Stupidius & minus ad rem respondent Prædicantes Lutherani quam hîc. Reinbothus Syllogismum audet formare, sed probet minorem, si vir est. Citeriores Hungari nil nisi Phrases & mendacia ponunt, sed à probandis cautè abstinent, qui sciunt se non posse. Titius etsi tale argumentum se dicat in promptu habere, solam tamen ponit minorem, quam, quia vidit se probare non posse, deinde præterit, meque ad alios remittit, qui æque nihil probant. Sartorius, uti priores, & totus reliquus erroneus Grex, solas positiones & veluti theses pro responsione, loco petiti argumenti dant, nec quicquam probant. Retorquet tamen Sartorius more suo quaestionem, cui jam sæpiùs citra obligationem etiam in propositionum priorum examinatis responsis satisfactum. Coronidis loco Micrelius erit. qui dictam esse causam in dictis ait. fortassè in prima & secunda responsione? qua fatetur, omnium Christianarum sectarum Asseclas, veræ esse insertos Ecclesiæ, eorumque verbi Præcones omnes legitimè à DEO vocatos? sed quæ inde absurda sequantur, ibi Lector invenies. Deinde, quasi propositio mea nihil difficultatis haberet, Lutherana dogmata affirmat apertissimis Scripturæ testimonijs niti, id quod ego affirmari non ignorabam, sed petiveram probari, & adhuc peto. Vide nunc Lector quomodo in Lutheranâ, quam dicunt, fide suâ defendendâ turpiter deficiant Prædicantes tui, quamque securâ, scilicet, ad cœlum te ducant viâ; agat nunc Micrelius, qui miratur Illustrissimum Comitem Truchsesium, ideo à
Luthe-

Luthero ad Catholicæ Ecclesiæ gremium rediisse, quod octo Prædicantes respondere ad duodecim mea postulata non valuisse, agat, inquam, ut quandoquidem nec ille nec 24. alij, quanquam aureos montes promiserint, præter ridiculos tamen mures protulerint nihil, denique Doctiores saltem alij Lutherani verbi Ministri, respondeant aliquid ad rem, vel fidem suam non fidem, sed proprii cerebri figmenta, erroneas opiniones, detestandam perfidiam, non religionem sed impiam rebellionem, non DEI Ecclesiam, sed Synagogam Sathanæ esse fateantur, & una tecum ad ovile Christi redeant, reducantque tot miserè pereuntes animas. ita fiet, ut antiquus Ecclesiæ decor invicta illa olim Germaniæ concordia, amœna pax, & millena fœcundæ pacis commoda postliminio velut ab exilio ad nos redeant; ita fiet ut manum suam, quam in flagella adhuc extentam intentat DEUS, clementissimè retrahat, & in una fide in militante Ecclesia conjunctos, felici transmigracione educat in triumphantem. qui unus mihi propositus finis, ut tibi quoque Amicè Lector, cordi sit, ex corde precor. Viennæ 1655.

Domini Academici.

DUm examen meum, & 12. istæ propositiones typos occupant, rectè ad manus meas advolant: Decas Disputationum Haberkornij: Musæi *verthedigung des vnbeuweglichen grundes*: Micrelij, Judicij Keddiani contra Micrelium iniquitas. Quos tres dum, quâ per temporis angustias, properantibus typis arctatas licuit, pervolvo, novi nihil contra Examen meum & 12. Propositiones solidi allatum invenio, cui editione hac non satisfactum existimem. Risum sanè mihi movit, sed & sapientibus Lutheranis movebit, quod Musæus cum Haberkornio Lutherum albo Beatorum vel Sanctorum inserant; qua potestate, ipsi viderint. Quo fundamento, spurcissima scripta vitaq; Lutheri docent, verùm placeant ista Prædicantibus, quæ merito ingenuis displicent. Micrelius queritur me non stecisse promissis, quòd necdum acceperit *daß versprochenes dortorstuck*/ sed & hoc brevi habebit. Modestiam quoque suam commendat, seque ait à calumnijs abstinere, quando

nulum nominando, ita calumniatur omnes, ut excludat Catholicorum neminem, nemini parcat, tanto nequior quanto pluribus injuriam facit. Hoc interim fraudis textit hic ministrorum ternio, ut simplicibus persuadeant, hoc vnum me per sophismata agere, ut scripturæ arma adversarijs extorqueam & abducam alio; verum quam falso vtrumq; asserant responsiones meæ nunc fusius ad examen & 12. Propositiones recusæ, sapienti facile aperiet. Cum enim in omnibus particularibus deformationis Lutheranae, Calvinianæ, &c. controversijs, velut necessaria fundamenta involvantur hæ Quæstiones: Penes quem & vnde petendus sit infallibilis scripturæ sensus, & ut infallibilem reformandi auctoritatem doceat, qui se reformatorem, ejus quod invenit, jactat. Merito hæc ante omnia & ante particulares controversias, quas Reformatores isti, scilicet, suscitaverunt, dissolvenda proposita sunt. Cum enim de solius vnius alicujus Ecclesiæ veritate absoluta (ex qua & altera comparativa veritas necessario posse inferri debet) argumentis probandâ agitur, utique argumentum hoc, ut ostendi supra, proprium esse debet, Ecclesiæ illi quam quis solam esse veram asserit. Quod autem in hujusmodi probatorijs argumentis, minorem quoque probare se paratos ostendant, negent autem id fieri posse nisi descendant ad controversias particulares, ideo solum dicunt, quia tangi Prædicantes suum vlcus non sustinent, cum sanari non cupiant: Vnde enim cum familia viverent? Quando namque se reformasse Ecclesiam dicunt, eam prius probent, necesse est errasse aut errare potuisse: probent deinde ad reformandi munus se legitime vocatos, munus administrandi Sacramenta, docendi, &c. sibi legitime commissum: se ritè in hoc succedere Apostolis: apud se solos esse legitimum Dei Verbum ejusque sanam interpretationem, &c. ista enim omnia, uti præsupponenda sunt antè quam ad factæ vel faciendæ reformationis particulares controversias descendatur, ita & probanda sunt, ac proprijs quidem merito argumentis, quæ demonstrantur talia esse, ut adversarij, ijs uti æquè non possint, Hoc si possunt

quare

quare non faciunt Prædicantes? sed non teneri se dicunt. Quare igitur Lutherus tom. 2. Jenens. fol. 441. p. 1. Item. tom. 5. Jenens. fol. 492. 492. Tom. 1. Witt. in primum caput ad Galat. fol. 7. p. 2. Hæc ante omnia probari ab Anabaptistis & Sacramentarijs voluit? Sed sapius dictis inhæreo. Legant eruditi mea ad examen & 12. postulata. reddita Prædicantibus responsa, & sanâ mente dijudicent. De Becano & Bellarmino solidè refutatis, quod falsò gloriantur Prædicantes, non miror; quia solens faciunt. Quam autem frigide id fecerint, ego non dixerim, quia facilè eruditus lector videbit, si infelices refutatores istos, cum ipso Bellarmino, Becano ejusque refutato antibecano contulerit. Quod Micrelius ex S. Catharina Senensi & S. Brigitta, &c. adfert, ad corruptos istorum temporum mores pertinet, fidem non concernit. Et quando Ecclesiam cœorum fidelium sub Christi Vicario, &c. dicimus, qua fronte inferre audent, à nobis excludi & reijci Christum à Capite primariò Ecclesiæ? sed ista satis. Ubi ostenderint Prædicantes se aliquid solidi contra me attulisse, quod me præterierit, hoc iterum peto, vt alijs omissis breviter ostendant, polliceor, breviter & dilucide me respondurum, si vita suppetat.

Habetis Paranesin DD. Academici, in qua reduto velut Sipario, cassos Ministrorum vestrorum pro Lutheranismò conatus detexi, qui causam malam quanto suis Scriptis fecerint peiorem facile videbitis. Addo nunc Compendio in Vestri gratiam Eruditi cujusdam viri Enthymema, de impossibili Lutheranorum Pœnitentia, adeoq; & salute; quod Enthymema quam imperite & infeliciter, Verbi minister famosus ex vicino Regno solvere per impossibilia nequidquam laboraverit, non pigeat legere, & quod ad vitam æternam profuturum est discere.

ENTHYMEMA LUTHERANIS OP. POSITUM.

*Nullus Lutheranus potest agere pœnitentiam,
ideoque non potest salvari.*

Responsio Verbi Ministri, & facta
ab eodem.

ENTHYMEMATIS RESOLUTIO.

Posuit Minister addendam Enthymemati majorem Propositionem, ut prodiret Syllogismus perfectus, & solidior responsio: Syllogismum talem fecit:

Quicumque non possunt agere pœnitentiam, illi non possunt salvari;

Nullus Lutheranus potest agere pœnitentiam. Ideoque nullus Lutheranus potest salvari. Syllogismum hunc in formam bonum esse dixit, peccare autem in materia; quod

§ I.

Conclusio falsa esset: contradicere enim ait, P. Kedd, qui in *der Gewissens Öffnung*/ p. 17. & seqq. doceat simplices, inter falsæ Religionis asseclas esse filios & membra Ecclesiæ Christi; etsi Lutherani, vel aliter, nominentur. Aliquis ergo Lutheranus potest salvari,

§. 2.

§ 2.

Majorem superius à se factam non esse simpliciter veram ait idem Lutheranus, instatq;: Christus, Beata Virgo, Infantes Baptizati non possunt nec potuerunt agere pœnitentiam, & tamen Salvati fuerunt, & Salvati possunt. Martyres etiam à quibusdam suo sanguine Baptizati, & sine pœnitentiâ Salvati dicuntur.

Bellarminum quoque doctiorem utique authore Entymematis, ait voluisse Christum, infidelibus remitti peccata per Baptismum, fidelibus autem per pœnitentiam.

Imò Bellarminum, velle Pœnitentiam non esse omnium hominum secundum scripturam, sed peccatorum TANTUM: quòd Justis Deus non posuerit pœnitentiam, in oratione Manass: & Luc. 15. Justis non agere Pœnitentia, & tamen Matth. 25. ituros in vitam æternam. Majorem itaque, nisi limitetur falsam esset contra Bellar.

§. 3.

Minorem etiam non esse simpliciter veram; nam si nullus Lutheranus posset agere pœnitentiam, frustra institueretur reformatio in Austriâ, refutatq; minorem experienciâ. Minorem dicit reduplicat. vè acceptam non displicituram Catholicis, sed probandam esse.

§. 4.

Dicit Prædicans à majore hujus Syllogismi, confirmari instantiâ §. 2. allatas v. g. de Christo, B. Virgine, &c. peccare deinde, imperfectâ enumeratione Partium Pœnitentiæ, & vel minus accurate, vel de industria ambigüe loqui, quod mox futurum ait ut pateat.

§. 5.

Majorem putat bimembriem, & utroq; membro ambigüam esse. Prius, de Sacramentali Pœnitentiâ, vel accipi de toto Sacramento Pœnitentiæ, contra communem usum, vel de parte Sacramenti juxta Trident. Sess: 14. c. 4. & sic Majorem ab Ecclesia negari; plures enim esse dicit partes Sacramenti pœnitentiæ, nimirum materialem (ut sunt Confessio, Contritio, Satisfactio) & Formalem, in qua præcipue sita sit vis pœnitentiæ (Concil. Trid. loc. cit.) nempe ab-

pè absolutio in ijs Ministri verbis posita: ego te absolvo, &c. ibid. p. 169. anathemate feriri, qui negant ad perfectam Pœnitentiam tres partes requiri, quarum cum vna tantum sit Confessio Sacramentalis, addere auctorem Erethymematis reliquas sine fraude debuisse.

§. 6.

Posterior verò Majoris membrum vel accipere authorem Erethymematis de contritione imperfecta, quæ attritio dicitur. Et sic majorem damnari à Trident. l. cit. c. 4. vel de ea quæ charitate perficitur, & aliquando contingit, hominemq; Deo reconciliat, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur. Et nihilominus huic contritioni sine Sacramenti voto non adscribendam esse reconciliationem, jubente Concil. d. l.

§. 7.

Minorem Prædicans dicit ratione subjecti falsam esse, nisi Lutherani accipiantur reduplicativè; multi enim ex Lutheranis facti Catholici ex præscripto R. E. pœnitentiam egerunt.

§. 8.

Prædicans ait; etsi Lutherani non agnoscant Sacramentum pœnitentiæ, cujus una pars est confessio, non ideo Lutheranos non posse confiteri peccata, aut pœnitentiam agere, ut patet ex instantijs. David Manassés, & omnibus conversis in V. T. totoque tempore prædicationis Christi, qui non agnoverunt Sacramentum pœnitentiæ, & absque Confessione Sacramentali peccata confessi ac detestati fuerunt, quemadmodum Lutherani. Hos autem veram egisse pœnitentiam nemo negare potest.

§. 9.

Quia dixerat Catholicus contritionem, quæ debet hominem Deo reconciliare esse dolorem de peccatis, cum proposito servandi omnia Præcepta DEI. Ex c. 18. Ezech. & c. 33. Respondit Minister Lutheranus Descriptionem Contritionis discrepare videri ab illa Trid. Sess. 4. c. 4. ubi: Contritio animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero: ubi
existi-

existimat, authorem omisisse restrictionem doloris ad animum, quod sint & corporis dolores: item detestationem peccati, quæ à dolore distinguitur, ut efficiens ab effectu. imò descriptionem Trid. mutasse, angustioribus terminis, propositum non peccandi de cetero, audacter includendo. Cum & contra Ecclesiæ Præcepta, & contra Evangelica consilia, & contra regulas ordinis à religiosis peccetur, quæ nemo DEI Præcepta dixerit. Excusandum igitur Catholicum Authorem illum à Lutheranis potiùs, quos captiunculis ad Ecclesiam reducere conatus fuerit. & pios dolos apud Eruditos Religiosos facile eidem veniam impetraturos.

RESPONSIO LUTHERANA ALTERA,

§. 1.

Valeat inquit Minister argumentandi ratio. Enthymemata in Colloquio Ratisbonensi fuerunt Jesuitarum Stratagemata, Lutherani sumptionem hinc negant.

§. 2.

Probatio Sumptionis, est fallacia petitionis Principij. *Falsum* est hominem DEO reconciliari per Sacramentalem Confessionem. h. e. omnium peccatorum mortalium, etiam occultissimorum recensionem, quam negamus esse, Sacramentum propriè dictum (ut Baptismus & Eucharistia) latè tamen ratione finis Sacramenti nomen ei tribui posse fatemur. Negamus item, contritionem esse, medium reconciliationis cum DEO; eam tamen pœnitenti necessariam docemus. Fides autem (justificans & specialis) præcipua Pœnitentię pars in scripturis respectu nostri medium est, cui soli (cum Leone 1. ep. 70.) tribuimus applicationem remissionis peccatorum, & nequaquam contritioni.

§. 3.

Ad minoris tamen probationem ex superabundanti obiter dicunt Lutherani, in ea (1.) confundi distincta, contritionem scilicet

cet cum proposito emendationis. Contritio dolor est, ortus ex lege DEI, per quam Rom. 3. 20. agnitio peccati: Propositum emendationis includitur fidei vivæ, fructus proferenti. Matth. 3. facite fructus dignos pœnitentiæ.

Dicunt (2.) Propositum hoc, vel novam obedientiam, non esse propriè partem pœnitentiæ, vel essentielle constituens, quia eam sequitur. Suarez in D. Thom. tom. 4. D. 4. §. 3. asserit solam derestationem sine formali proposito emendationis ad gratiam aliquando sufficere.

Dicunt (3.) aliud esse ipsum Propositum, & aliud modum id exequendi.

Dicunt (4.) fatemur ejus optimam normam esse Decalogum. (5.) non solum quoad externam, sed quoad internam etiam obedientiam (6.) cui normæ cum justitia nostra non respondeat, Esai. 64. v. 6. & exactè nunquam respondere possit (quis enim dicere potest mundum est cor meum &c. Prov. 20. 9. & 1. Joan. 1. 8.) Ad Christum confugimus, Finem legis Rom. 10. 4. (7.) dicunt eos esse justos, qui exactè legem implent, nec egere pœnitentiâ (Luc. 15.) vel confessione carere posse. (8.) Verum est, Sap. 1. 3. perverſas cogitationes separare à DEO, eos sc. qui illis indulgent & consentiunt. quid inde? Videat author. Gen. 6. 5. & in se ipsum descendat.

RESPONSVM CATHOLICI,

*Adeâ quæ eiusdem Enthymemati à Lutheranis
sunt oppositæ.*

Enthymema erat: Nullus Lutheranus potest agere pœnitentiã de peccatis mortalibus actualibus, ergò nullus Lutheranus potest salvari. Anteced. Probatu; quia omnis Pœnitentiã in lege gratiæ reconciliativa DEI, esse debet vel in sacramento Pœnitentiæ, vel extra illud. Neutra locum habet in Lutheranis. non prior; quia Lutherani non agnoscunt hoc Sacramentum strictè sumptum.

Non

Non posterior; quia pœnitentia quæ fit extra Sacramentum, debet esse perfecta Contritio, hanc nequeunt habere Lutherani, quia ad hanc DEUS saltem in seria intentione & proposito requirit observationem omnium mandatorum suorum, Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, ab omnibus peccatis suis qua operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & Iustitiam vita vivet & non morietur.* Idem habes cap. 33. at horum, ut dixi, omnium observatio Lutheranis ex propria confessione & proprijs principijs est impossibilis. nec refert quod dicant se ea servare ad extra posse, non autem ad intra, quia qui ad intra non servat mandata non salvabitur; *perversa enim cogitationes separant à Deo, Sap. 1. 3.*

Ad hæc variè respondet Lutheranus, & ut melius procedat, hunc ex suo cerebro format Syllogismum, contra quem deinde umbraticam velut pugnam instituit: *Qui non potest agere pœnitentiam, non potest salvari, hoc non potest Lutheranus. ergò. Debuisset sic formasse.*

Qui indiget pœnitentia & non potest eam juxta principia sua facere, non potest salvari, sed tales sunt Lutherani, qua Lutherani. ergò.

Major est scripturæ Act. 3. 19. *Pœnitimini & convertimini ut deleantur peccata vestra.* Luc. 13. 5. *Si pœnitentiam non egeritis omnes similiter peribitis.* Supponitur quoque Joan. 20. & 23. ubi Christus Apostolis dat potestatem remittendi peccata. Minor quo ad secundam partem, quod scilicet Lutherani, quæ tales juxta sua principia non possint facere pœnitentiam ostenditur supra in probatione antecedentis primi Enthymematis, quo ad primam partem fatentur Lutherani, dum dicunt se ad intra non posse servare mandata, adeoq; secundum citata superius loca ex Ezech. & Sap. nec non illa Matth. 5. v. 28. & 15. v. 18. 19. qui viderit mulierem &c. & de corde exeunt cogitationes malæ &c. sunt semper in peccato mortali actuali saltem interno, quia dicunt impossibile esse sibi servare DEI præcepta, ac per consequens indigent pœnitentiâ. Deinde ulterius probatur, qui enim cum urget præceptum dilectionis DEI, non habet vel habitualement vel actualem dilectionem DEI, est in statu peccati mortalis actualis. talem autem DEI dilectionem nemo adultus habet, nisi servet mandata DEI, Christus enim Ioan. 14. 21. ait: *Qui*

habet mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me. & post pauca: *qui non diligit me, sermones meos non servat.* at nullus adultus Lutheranus, internè saltem servat DEI mandata, ergo nullus eorum diligit DEUM. *qui autem non diligit, manet in morte*; 1. Joan. 3. 15. ab hac autem non exeunt adulti nisi per pœnitentiam, ergo ea indigent. Probat 3. Lutheranos (de adultis sermo est Lutheranis formalibus ut talibus) esse semper in peccato mortali actuali; quia non habent veram fidem divinam, adeoque sunt infideles. quod sic probatur: ille non habet fidem divinam veram, qui non credit ob autoritatem DEI revelantis propositam à proponente, ex divinâ promissione, infallibili, sed Lutherani non credunt ob autoritatem DEI revelantis, propositam ab hujusmodi infallibili proponente, ergo Lutherani non habent veram fidem Divinam. Major per se nota est: non enim satis est ad fidem divinam, esse in se certum id, quod Deus dixit, sed debet etiam cuivis infallibiliter, vel quo ad se constare, quod DEUS aliquid dixerit; Minor probatur: Lutherani credunt aliquid, vel quia à DEO esse in S. Scriptura revelatum Lutherus dicit, vel quia ipsi sic judicant ex scriptura intelligendum, sed neutrius sic proponentis autoritas est infallibilis ex promissione Divina: ergo Lutherani non credunt ob autoritatem DEI revelantis, propositam ab infallibili proponente ex Promissione divina. Major certa est, vel dent ipsi alium infallibilem proponentem, nisi velint cum Catholicis facere & Romanæ Catholicæ Ecclesiæ concedere infallibilitatem, cum qua ad Lutherum usque, omnes in partibus Lutheranis ante hac tanquam subjecta membra fuerunt conjuncti, nec aliundè habent DEI verbum quam ab illâ, licet variè deinde ab illis mutilatum & corruptum. Minor etiam certa est, donec Lutheri, vel suum proprium Judicium probent infallibile, ex aliqua DEI promissione. Conclusio in bona forma sequitur evidentè, manetque vera prima consequentia, quod Lutherani non habeant veram fidem Divinam, adeoq; sint semper in peccato mortali actuali; neque dicant credimus in SS. Trinitatem, in merita Christi &c. ergo habemus fidem divinam. Hæc enim consequentia licet vera sit, quo ad objectum materiale hujus fidei, seu fidem objectivam; quomodo & Judæi & Turcæ haberent fidem Divinam, quia & ipsi in unum DEUM nobiscum credunt,

eredunt, ut primarium suæ fidei objectum. Falsissima tamen est quæ ad objectum fidei formale, hoc est revelationem Divinam, apud Lutheranos, ut supra dixi, à fallibili autoritate propositam; adeoque non habent divinam & infallibilem fidem, sed humanam & fallibilem, solo privati iudicij circa scripturam sensu subnixam. Sunt ergo Lutherani, qua tales infideles, in actuali peccato mortali, indigentque pœnitentiâ.

Dicent fortasse Lutherani non indigere se pœnitentiâ, non quidem ideo, quòd se negent peccatores, sed quòd sola fides justificet impium. Sed hæc responsio nulla est, 1. quia, uti probatum est, non habent veram divinam fidem, ergo nec justificantem. 2. Si sola fides justificat, justificabit sine Baptismo & Eucharistiâ, adeoque vel neutrum duorum Sacramentorum erit medium necessarium ad salutem, vel sola fides non justificat. Neque dicant hæc duo Sacramenta esse necessaria necessitate præcepti, quia tunc par erit ratio horum, ac aliorum præceptorum, quæ dicent servatu esse impossibilia, adeoque æquè ac alia omitti posse.

Ex utroque rursus sequitur, Lutheranos non habere veram justificantem & salvificam fidem, quæ secundum illos est forma justificans & constituens justum & amicum Dei; cum enim nunquam possint, interne saltem, servare Dei præcepta, adeoque nunquam sint absque peccato mortali, quod est forma constituens peccatorem & inimicum Dei, consequens est illos non habere veram salvificam fidem, alioquin essent simul formaliter justus & non justus, amicus & non amicus Dei, quæ sunt contradictoria. Videant Lutherani quo devenerint.

Ex dictis facile patet, quam frigida, nugatoria, imperita, falsa sint §. novem & tribus corrasa ad propositum enthymema Lutherani Prædicantis responsa.

1. Enim conclusio enthymematis non est contra P. Kedd, ille enim accipit loco cit. tales simplices Lutheranos, qui defectu scientiæ, fidem quam in Baptismo acceperunt nunquam perdidit, additque illos tantum per denominationem extrinsecam esse Lutheranos, & requirit ut tales non inciderint in peccatum mortale actuale: quos dicit esse posse membra veræ Ecclesiæ, & salvari: Author verò enthymematis accipit Lutheranum formalem, qua talem redu-

uplicativè, qui etsi ut sic, pœnitere & salvari nequeat, manens tassis, recedens tamen à Lutheranismò, & falsas ejus opiniones deserens potest pœnitere & salvari, adeoq; fructuosè in ijs reducendis laboratur.

2. Instantiæ de Christo, B. Virgine, Iustis, infantibus Baptizatis; in Syllogismo ab Authore Enthymematis posito nullum habent locum, ille enim egit de ijs, qui ob peccata actualia indigent pœnitentia, quales non sunt illi modo allati: nec vllibi Bellarminus contrarium dicit.

3. Falso dicit Prædicans Lutheranus, Catholicos docere, quod Martyres, si sint in aliquo mortali actuali peccato, sine pœnitentia per solum Martyrium extrinsecum salventur, si non patiantur etiam ex Charitate Dei, quâ majorem nemo habet, nisi qui animam pro Deo ponit. Actus autem perfectæ Charitatis in Deum, non potest esse sine contritione perfectâ aut attritione saltem implicitè, imò & explicitè, in eo qui peccavit, & se peccassè tunc meminit.

4. Falso ait loc. cit. docere Bellarminum contra me; dum enim auctor ille, me utique & Langio doctior, docet fideles, ut jam Baptizatos, reconciliari Deo per pœnitentiam Sacramentalem, aut per contritionem cum voto Sacramenti sine Baptismo: Infideles autem adultos converti volentes habentes actuale mortale peccatum, ante Baptismum obligari ad pœnitentiam, non quidem Sacramentalem, cum Baptismus sit Ianua Sacramentorum, sed extra Sacramentalem, contritionem nimirum, aut minimum attritionem, quæ cum Sacramento sufficit. Mirum itaq; tam malitiosè Prædicantem citare Bellarminum, quasi pluribus locis in eo hoc non satis clarè legerit. Sed quid mirum illum hoc Bellarmino facere, cum eo malitiæ genere, nec SS. Patribus, imò ne scripturæ Sacræ istud hominum genus parcat. Est enim ipsius scripturæ hæc doctrina actor. 2. v. 38. Pœnitentiam agite & Baptizetur vnusquisque vestrum.

5. Nugatur Verbi Minister in suo 6. & 7. §. cum enim ostensum sit Lutheranos non posse agere pœnitentiã Sacramentalem propriè acceptam, quia non credunt tale Sacramentum, perinde est ad hoc propositum, siue illius Sacramenti allata sint omnes partes, siue non; siue tres sint ejus, siue plures. Quando vero de contritione,

vt poenitentia extra Sacramentali, actum, utique accepta contritio propriè dicta & perfecta, adeoque Verbis multis operose Prædicans nihil ad rem dicit.

6. Instantiæ David & Manassæ. Nihil faciunt nec contra Catholicos, nec pro Lutheranis. Cum enim in antiquo T. nondum fuerint vlla novæ legis Sacramenta, mirum non est illos fecisse poenitentiam extra Sacramentalem. Verum nec hac Lutheranos gaudere posse ostensum supra. Sed nec Græca Ecclesia, nec Chrysofomus, nec Augustinus quidquam hic contra nos vel pro Lutheranis dicunt, nec tale quid ab illis adducitur.

7. De contritione §. 9. satis imperitè & extra propositum multa sugillat Prædicans solâ cavillandi libidine, quis enim vel negat vel nescit, quando de contritione perfecta reconciliativâ hominis cum Deo agitur, de dolore, non corporis, sed animi agi, etsi vox hæc animi non addatur. Nihil quoque Lutheranis prodest hoc loco injecta mentio præceptorum Ecclesiæ, Consiliorum Evangelicorum, votorum Religiosorum & Regularum: hac vice satis est, quod Lutherani non possint habere perfectam contritionem, quia non possunt servare Dei præcepta: Ceteroquin qui Ecclesiæ Præcepta, consilia Evangelica votis comprehensa, & regulas Religiosorum, negat esse Dei præcepta, contra scripturam negat; illa enim omnia sunt mediata saltem Dei præcepta. Et quidem loquendo de votis & regulis gravioribus secundum executionem; nam in fieri scimus vota esse libera, in facto autem esse summè necessaria. Nam qui Ecclesiam non audierit hunc Deus jubet haberi pro Ethnico & Publicano, & S. Paulus præcipit obediri propositis: & Deus ipse voveri & vota reddi imperat. Quales verò captiunculæ doli ac stratagemata Jesuitica sint enthymemata, & allata hic argumenta, ex his alijsq; frigidissimis Lutheranorum ad ea responsionibus facile apparet.

Nunc ad alios in principio positos Lutheranarum Responsionum tres §. pergamus.

Lutheranæ Responsionis §. 1. negatur sumptio enthymematis, ea verò jam probata est. Refutent argumenta illa si possint. §. 2. appellat probationem sumptionis, petitionem principij. Sed hæc responsio, contra Catholicum non est, qui allatum Syllogismum non

fecit; sed contra Prædicantem, qui eum velut à Catholico formandum apposuit: quanquam nec petitio principij quidem est, quod solidis argumentis ex scriptura probatum est. Quia tamen Lutherani negant Sacramentalem Confessionem propriè dictam, esse medium reconciliationis, rectè inde contra illos infertur, vt tales, per eam cum Deo reconciliari non possent. Illius autem Sacramenti veritatem ac necessitatem adstruere, Hoc loco nostri propositi non est, & fecere fusè Bellarminus, Becanus, alijque. Denique etsi contritionem pœnitenti concedat Prædicans esse necessariam, negat tamen eam esse necessarium medium reconciliationis cum Deo, sed rationem medij necessarij soli fidei tribuit, vt præcipuè Pœnitentiæ parti, remissionem peccatorum applicanti, sed jam ostensum est, Lutheranos nec habere veram fidem divinam: quæ licet ad pœnitentiam præsupponatur, cum sine fide impossibile sit placere Deo, sola tamen sufficiens non est ad peccatorem Deo reconciliandum, quia stante fide divina, potest aliquis esse in peccato mortali, alioquin omne peccatum tolleretur fidem divinam: ergo sola fides divina ad reconciliationem non sufficit, quia alias homo fidelis esset impeccabilis, aut per fidem etiam actu peccans, maneret tamen reconciliatus Deo, adeoq; simul peccaret, & non peccaret, vt ostendi supra. Adde quod adulterans vel occidens, &c. non ideo cesset credere in Sanctiss: Trinitatem, Christum ejusq; merita, aliosq; articulos revelatos, & quidem ex eodem motivo, quo credebat antequam peccaret, quia nec adulterium, nec homicidium opponitur fidei, sed castitati & Charitati. Fidei autem sola opponitur incredulitas. Vnde Christus Thomæ ait: *Noli esse incredulus sed fidelis*, ita spei opponitur desperatio, non odium proximi; nec fides tollitur, nisi per Incredulitatem, nec nisi per desperationem spes, &c. per omne autem actuale mortale peccatum, fidelis excidit charitate Dei, quæ extra Sacramentum quoque reparari non potest, nisi per contritionem perfectam, qui est actus Charitatis in Deum perfectus, quem ad justificationem S. Paulus ad Gal. 4. v. 6. vt necessariam requirit. *Nam in Domino Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium sed fides, quæ per Charitatem operatur*; Sola itaque fides divina non. Iustificat, nisi ut radix bene operandi per actum charitatis, Unde

Luc. 7. non per solam fidem, sed ideò remittuntur Magdalene peccata multa, quoniam dilexit multum. Item Ezech. 18. Vita poenitentiae tribuitur &c. Pluribus igitur in scriptura Justificatio tribuitur, & non soli fidei. Imò nec à scriptura tribuitur fidei aliter Iustificatio, quàm ut principio & radici Iustificationis; non autem eo sensu, quasi illa sit formalis iustitia; propter allata absurda quæ inde sequerentur: nec sanctus Leo de alia fide loquitur, quam de ea, quæ secundum Apostolum per Charitatem operatur; qui enim hanc fidem habet, habet Iustificationem, sed non ex fide sola. Nec dicant fidem in peccatore non esse fidem salvificam, sed fidem mortuam; hoc enim nihil ad rem facit; fides divina enim, propter auctoritatem DEI revelantis infallibiliter propositam, manet in peccatore semper in actu primo salvifica; esse autem salvificam in actu secundo, quando per liberam, cum DEI gratiâ, cooperationem nostram, mediante timore, spe, Charitate, &c. disponit hominem ad recipiendam DEI gratiam justificantem & facientem hominem Deo formaliter gratum. Nec dicant se non peccare non servando Dei præcepta; quòd ad impossibile nemo obligatur. Contra enim est, quod Deus non servantes eius præcepta, velit damnare; nemo autem damnatur nisi ob peccata, non servando igitur Dei præcepta peccatur.

In §. tertio dicitur 1. aliud esse contritionem, aliud propositum non peccandi. 2. esto: utrumque tamen exigit scriptura. Ezech. 1. cit. deinde male definitur illo §. contritio est dolor ortus ex lege Dei, per quam agnitio peccati? quæ definitio falsa est, si sermo sit de perfecta contritione, imò & de contritione absolutè. Quia videns aliquis legem punitionem inferre transgressoribus, potest dolere de ea lege lata, & quis hanc dicet contritionem? deniq; dicitur propositum non peccandi, includi in fide, nec esse partem poenitentiae. Verùm, dicitur quidem, sed nec ex Sacra Scriptura, nec ex SS. Patribus probatur. Et sequitur inde, nullum Lutheranium habere fidem integram. Quia non potest habere propositum faciendi quod credit impossibile, servare scilicet mandata DEI: sed nec in fide includi potest aliquid impossibile, quale secundum illos est hoc propositum. Estque contra Ezech. 18. v. 21. & 31. ad Suar. quod attinet, ostendit respondens Lutheranus,

nus, se nec auctorem illum, nec Terminos Theologorum consuetos intelligere, adeoque nec nomen Theologi vlla ratione mereri. Esto enim Suarez dicat, solam detestationem peccati, sine formali proposito non peccandi de cetero, ad gratiam consequendam aliquando sufficere, nihil tamen Suarez contra nos dicit; nam perfecta detestatio vel includit virtualiter & æquivalenter hoc propositum, vel non est perfecta detestatio. Quis enim filius sincere censebitur dolere de patre offenso, nisi virtualiter saltem velit se emendare. Et licet in humanis filius parentem hac in parte decipere possit, DEUM certè nemo decipiet, qui sciet utique inter seriam detestationem, cum emendationis proposito, & inter fictam sine animo emendandi discernere.

Dicunt 4. & 5. Lutherani propositum hoc juxta Decalogum, esse exigendum, non tantum quo ad externam, sed etiam quo ad internam obedientiam; sed gratis dicunt; quia propositum non potest ferri in impossibile, quale est secundum illos Decalogus & ejus observatio, maximè quo ad internam obedientiam, quam omninò dicunt impossibilem.

Dicunt 6. cum Regulæ mandatorum DEI justitia nostra non respondeat, & exactè nunquam respondere possit, se ad Christum, confugere; Finis enim legis Christus, ad Justitiam omni credenti. Ecce iterum ad rem nihil dicunt; etsi enim totam legem Christi, vix fieri possit, ita perfectè impleri ab infirmitate nostrà, quin plures etiam leviores, veniales nævos quotidie contrahamus, cum DEI gratia tamen, ita legem totam implere possumus, ut mortale saltem, contra illam peccatum non admittamus, quod si autem contingat, nos in graviora quandoque peccata labi, utique, nisi perire, volumus, debemus ad Christum confugere, perque veram fidem nos excitare ad pœnitentiam, ut dictum supra, eaque mediante sperare ac consequi virtute meritorum Christi remissionem peccatorum, juxta sæpius citatum Ezech. cap. 18. quod autem sola fides ad reconciliationem hanc non sufficiat, & quod ea Lutheranis, ut talibus, impossibile sit, fusè supra probatum est.

Dicunt 7. nos affirmare, eos qui legem exactè implent non indigere pœnitentia, sed justos esse, nec opus habere, ut orent: *Dimitte nobis debita nostra.*

R. Talem Justitiam exactam, quæ nec leviores quidem navos contrahat, adeoque nulla indigeat pœnitentia, nos non concede nisi Christo, B. Virgini, infantibus Baptizatis, infantibus Baptizatis, & forte S. Joanni Baptista, qui proinde nullâ egerunt pœnitentia. Reliqui autem justî, qui venialibus peccatis (per quæ justitia non amittitur, nec Dei amicitia, etsi non nihil intrepescat, tollitur) se commacularunt, agere utique pœnitentiam possunt, & dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Quod autem de panno menstruata, ex Esa. 64. adducitur, nihil ad rem facit, loquitur enim Propheeta de ijs Judæorum legalibus Justitijs v. g. Sacrificijs legis veteris, non autem de Justitia quæ habetur per Christum, nec de bonis Christianorum Justorum operibus, de quibus Lutherani accipiant illud Psal. 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini,* & Apost. 1. ad Thessal. 4. v. 3. *Hac est voluntas Dei Sanctificatio vestra.* Vbi hic quæso pannus Menstruata? Lutheranis ille quidem cõceditur, qui quia pœnitentiam, ut ostendi agere nequeunt, quamdiu Lutherani manent, adeoque nec Salvari, quia nihil inquinatum, nullus pannus Menstruatus Lutheranae animæ cœlum ingreditur. Et licet nemo possit dicere certa fide se mundum esse, cum nesciat *homo an odio vel amore dignus sit,* & S. Paulus dicat, *nihil mihi conscius sum, sed non in hos justificatus sum,* propter peccata præterita, de quorum remissione etsi nullam habuisset fidei certitudinem, non tamen idcirco sequitur illum fuisse injustum, nisi velis ideo S. Paulum injustum dicere, quia in Sancto Dei timore, cum firma tamen spe & fiducia operatus est salutem.


Dicunt 8. quid inde sequatur, quod perversæ cogitationes à Deo separent illum, qui illis indulget; hoc enim se non negare? inde sequi quod Lutherani omnes semper sint in peccato mortali, quia internè quoad cogitationes malas & desideria, quibus semper indulgent, cum non possint propria confessione servare legem divinam, adeoque rectè illis conveniat illud Genesis 6. v. 5. valdeque mille etiam titulis indigeant pœnitentiâ, quam quia ut ostensum, agere nequeunt, etiam salvari non possint, si maneat Lutherani.

Addit Prædicans, Lutheranos fieri Iustos per refugium ad Christum, Iustitia Christi. Sed contra est, quod se comparent panno

Menstruatæ, negent vllum habere cor à peccato mundum. Quomodo autem ista stant cum Christi iustitia, si eà Lutherani iusti sunt? Iustitia certè Christi sine macula est. Ad locum autem Gen. cit. c. 6. v. 5. quod attinet, convenit ille propriè statui legis naturæ, quo multo melior est status legis gratiæ, per merita Christi, in ijs qui in vera Ecclesia sunt, in communione Sanctorum: à quâ recedentes Heretici, verè sunt sicut pannus Menstruatæ, quorum juxta illud Gen. 6. multa est malitia, & cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore; quandoquidem ipsi fatentur se Dei præcepta internè servare per nullam possibilitatem posse, malumq; exinanire Dei gratiam, quam sibi fateri possibile esse ejus Clementissimam, misericordissimam voluntatem implere, in eo, in quo confortante omnia se dicebat posse Apostolus.

Videat proinde Langius in quas se se spinas induerit, à quibus vt se expediat, Catholicus fiat necesse est, vt juxta Apost. Rom. 5. veram comparet Iustificationem, Charitate diffusâ in Cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Deus enim fidelis est & Justus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate nostra, si nimirum in vera fide Pœnitentiam seriam egerimus, qualem Lutheranos, dum tales manent, habere non posse ostendimus.

Vim igitur hujus, malè soluti Enthymematis, etsi nihil ambigam, DD. Academici, Vos pro ingenij Vestri acumine facile animadvertere; mirum tamen fortassè accidet ita repente omni fide Divinâ exutis, tota Lutherana spei, & quam putabatis, Religionis fundamenta concucti, animisq; idcirco Vestris medicina tam efficax, nondum idoneis singratè influet: cum itaque ad integram sanitatem plurimum intersit, antidota convenientia, malè affectis stomachis, paulatim conciliari, adjicio ex Gregorio de Valentia Analysin fidei, quam vbi attente legeritis, dicetis spero: hoc deniq; Alexipharmacum est, quod nos totum faciat Lutheri Virus vnâ nausèâ evomere.



P. G R E G O R I I D E
V A L E N T I A,

Analysis fidei lib. VI, cap. XIII.

Qua ratione vir prudens apud se prudenter
deliberare possit, utri potius parti, Secta-
riorumne an Catholicorum, assentiri de-
beat.

Aldio Catholicos & Sectarios contrarias mihi sententias de fi-
dei quaestionibus proponentes. Utri verò parti potius ad-
hæream? Certè illi debeo, cui si re circumspèctè deliberata
potius credidero, prudenter sim facturus. Vult enim DEUS, ut non
nisi prudenter credam. Sed quosnam potius veritatem proponere
mihi prudenter persuasero? Catholicosne an Sectarios? Omnino
duplex ratio suppetere potest ad id dijudicandum. Una, si verita-
tem apud hos potius quàm illos esse ipse perspiciam. Altera, si ho-
rum potius auctoritate movear, ut ab his potius, quàm ab illis veri-
tatem (tametsi eam ego non satis intelligam) doceri statuam. Prio-
ri modo, nempe ut ipse ex ratione doctrinæ de veritate judicem, ne-
quaquam prudenter definire possum, utri potius veram doctrinam
profiteantur. Neque verò, ut hac ego via ad veram fidei cognitio-
nem perveniam, DEUS à me requirit. Non enim res ipsas controver-
sas satis intelligo: nec me DEUS obligat, ut, quò fidem incorruptam
tenere possim, in studium incumbam Theologiæ. Restat igitur ut
auctoritate me induci oporteat, quò demùm statuam, apud hos po-
tius, quàm apud illos, esse doctrinæ veritatem. Quod si auctori-
tate hominum me duci oportet; certè est necesse, ut quorum auctori-
tas, consideratis omnibus, major & fide dignior est, ijs potius assen-
tiar. Porrò eorum hominum, qui docent, auctoritas partim existit
ex rebus naturalibus quæ fidem conciliare solent, partim aliquando
mirabilibus signis, quibus doctrinæ veritas nonnunquam solet divi-

nitus comprobari. Naturalia quasi ornamenta, quæ ad auctoritatem faciunt, sunt, ingenium, studia, antiquitas, multitudo, & id genus prærogativæ eorum, qui in eadem doctrina consentiunt. Supernaturalia sunt, miracula, qualia ediderunt olim Prophetæ & Apostoli, & alij qui ad doctrinam supernaturalem adversus errores inveteratos hominibus persuadendam divinitus missi aliquando fuerunt. Jam igitur ut majoris pondere auctoritatis prudenter impellar, ad assentiendum alterutri parti; Videlicet Catholicorum vel Sectariorum; comparatio mihi auctoritatis horum & illorum facienda est; ut, quorum, omnibus consideratis, major & fide dignior videbitur esse auctoritas, eos potius credam verum docere. Considerabo autem atque comparabo in utraque parte sigillatim tum naturales, tum supernaturales causas auctoritatis. Certè quod ad naturales attinet, nihilo sunt Catholici atque ordinarij Ministri Sectarijs extraordinarijs (sicut se volunt nominari) inferiores, quin in multis partibus eis antecellunt. Quis enim ita desipiat, ut censeat eos, qui fuerunt post Lutherum, Sectarios, vel ingenio, vel studijs, vel multitudine, vel antiquitate, vel integritate vitæ, aut superiores aut pares esse in omnibus Catholicis Ministris atque Doctoribus, quos illi oppugnant, id est, omnibus qui à tot seculis sunt ac fuerunt, in Germania, Gallia, Hispania, Italia; in toto Orbe Catholici? Quod si verò me ad causas supernaturalis auctoritatis converto, plane reperio, ne comparari quidem ullo modo cum ordinarijs Ministris Catholicis Sectarios extraordinarios posse. Quod enim aut quale, aut quando miraculum ediderunt, quo divinitus probaretur, digniores esse ipsos fide? De nullo prorsus constat. Cum tamen apud Catholicos nullo non ferè tempore varijs in locis admirabiles eventus, Beatissimæ præsertim Virginis aliorumque Sanctorum intercessione, contingant. Si igitur extraordinarij Sectarij neque naturalibus ornamentis, aut superiores aut pares Catholicis & Ordinarijs Doctoribus, neque supernaturalibus ullo modo cum ijs comparandi sunt; consequitur certè, Catholicorum auctoritatem, consideratis omnibus præponderare apud me debere. Cumque auctoritate ipse in hac veritate sententiarum de doctrina fidei (ut antè conclusum est) duci debeam, neque prudenter moveri possim, nisi à

majo-

maiore auctoritate; statuo prorsus Catholicis potius, quam Sectarijs, assentiri; hos doctrinam fidei verissimam proponere; hos legitimos esse Doctores & Ministros; ab his doctrinam, divinitus revelatam, & à Christo traditam, & ab Apostolis verbo, scriptis, miraculis confirmatam, doceri credo; Sectarios autem omnes, non extraordinariè divinitus ad docendum missos, neque adeo vera docere, sed hæreticos planè extraordinarios esse (quales à Catholicis judicantur) mihi persuadeo.

Ostendit, Domini Academici, Analysis ista, quænam sit fides Divina; cui cum nihil æquè proprium sit, quam habere Divinam quandam, cum Divinis, immutabilitatem, nihil aptius fecero, quam si ex Perronio, tempora Christianismi postrema cum primis, media cum utrisque conferam: quæ si apud solos Romano-Catholicos concordi tenore continuata inveniatis, nescio sanè, an jam sine crimine dubitare possitis, apud solos hos fidem Divinam inveniri.



CARD: PERRONIVS
DE COLLATIONE

ECCLESIAE CATHOLICAE VETERIS
CUM HODIERNA,

PETRUS BERTIUS

*Sub finem Orationis, qua rationem reddit suae ad Catho-
licam Ecclesiam commigrationis.*

BENEVOLO LECTORI.

Non abs re facturus mihi videor, amice Lector, si ob argu-
menti similitudinem, unum tibi caput hoc loco exhibeam,
ex Replicatione Eminentiss: Cardinalis Perronij ad Epistolam Se-
reniss: Magnae Britanniae Regis Jacobi; ex quo intelligas, quanta
sit Ecclesia nostra Catholica cum prisca illa, cujus auctoritatem ipsi
quoque Novatores praeseferunt, in rebus omnibus conjunctio;
quidque de illis certibus sentiendum sit, qui abolita omni antiqui-
tatis memoria, nuper sibi novam Ecclesiam, novam doctrinam,
novos ritus procuderunt; quique, post haec omnia, non verentur,
apud indoctam & incautam plebem, ad illam ipsam, quam reje-
cerunt, antiquitatem provocare. Lege & expende istam, si
placet, comparationem; videbis facile, utri propius ad veterem
formam accedant; illine, qui sublata omni memoria vetustatis,
ubique crepant priscae Ecclesiae typum; an nos, qui longa annorum
& personarum serie à Patribus illis profecti doctrinam eandem,
eandemque cum ipsis rerum omnium faciem adhuc in Ecclesia re-
ligiosè observamus. Sed in Novatoribus istis illud maxime in-
dignum videtur, quod, cum omnia everterint usque ad pulvis-
culum, tamen haud secus ac si res adhuc integra essent, velint sibi

Catho-

Catholici nomen asserere. Solet enim ob aliquam saltem rerum similitudinem seruari nominum appellatio; at ubi nihil simile est, non video quomodo Communio seruari appellationis queat. Quo magis mirum omnibus sana mente praeclatis videtur, quomodo Catholici nomen homines novi audeant suis inventis obtendere. Tu lege ista & fave.

CAPUT XVIII.

De collatione Ecclesiae Catholicae veteris cum hodierna.

RESPONSIO REGIS.

Hic verò Majestas ipsius petit à te, Illustrissime Cardinalis, ut revocare in mentem velis; atque apud te perpendere, quantum sit discrimen inter B. Augustini tempora & hac nostra; quàm diverso sensu Ecclesia Catholica hodie nominetur atque illis temporibus; quàm sit mutata Ecclesia facies, & tota exterior forma; ut de interiore jam nihil dicamus.

REPLICATIO CARDINALIS.

IMò verò, ipse ego supplex id à Serenissima ejus Majestate peto contendoque, ut ob oculos suos faciem Ecclesiae ponat, qualis ea tempore B. Augustini, & primorum quatuor Conciliorum fuit; Ecclesiam inquam, illam spectet, quæ credebat, veram & realem praesentiam ac manducationem realem Corporis Christi in Sacramento, sub speciebus & in speciebus Sacramentalibus, quemadmodum id ipse etiam Zuinglius praecipuus (a) Zuingl. tom. 3. l. de Sacramentariis Patriarcha fatetur his ver- vera & falsa Relig. cap. bis (a) tempore Augustini (id est, ab aënis MCC.) de Eucharist,

- (b) *Cyrl. Hierof. Ca-* opinio de carne corporali jam victrix fuit. Eccle-
tech Myst. 5. Chrys. in siam, inquam, Rex consideret, quæ tali in sta-
1. ad Cor. hom. 24. Aug. tu (b) adorabat Eucharistiam, non mente tan-
in psal. 96. Theo. Dial. tum & devotionibus internis, sed etiam ge-
2. & aliq. stibus & adoratione externa, ut quæ conti-
 neret actu, realiter, & substantialiter, verum
 & proprium Corpus Christi; neque enim de
 transubstantiatione nunc ajo, cui tractatum
 reservo separatim ac peculiarem. Ecclesiam,
 quæ credebat, Corpus Christi esse in Sacra-
 mento, (c) etiam extra usum atque idcirco
 etiam post consecrationem illud servavit in
 (d) *Tertul. ad vxor. l.* usum (d) communionū domesticarum, aut (e)
2. Cyp. de lapsf. ut exhiberetur ægris, aut in mare proficiscen-
 tes comitaretur, autmitteretur in Provincias
 remotiores. Ecclesiam, quæ credebat, com-
 munionem (f) sub duabus speciebus non esse
 necessarium ad integritatem participationis,
 sed totum Corpus & totum sanguinem sumi
 sub altera specie, atque has obcausas, in com-
 munionibus domesticis, in communionibus
 infantium, in communionibus ægrotorum,
 in communionibus in mari, in communio-
 nibus pœnitentium, in articulo mortis, in
 communionibus missis, in provincias remo-
 tas, distribuebatur Sacramentum sub vna
 specie. Ecclesiam, quæ credebat, Eucha-
 ristiam esse (g) verum, plenum, & integrum
 Sacrificium, quod solum omnibus Sacrifi-
 cii legis successit: quod esset (h) nova
 oblatio novi testamenti, (i) cultus exter-
 nus patriæ Christianorum, neque solum Sa-
 crificium Eucharisticum, sed etiam Sacrifi-
 cium (k) propitiatorium, per applicatio-
 nem ejus, quod in Cruce oblatum est: atque
 hoc

hoc modo & sine offerebatur tam pro absentibus, quam pro presentibus, tam pro communicantibus, quam pro ijs qui non communicabant, tam pro vivis quam pro defunctis. Ecclesiam, quæ ad oblationem istius Sacrificij usa est altaribus ligneis, & lapideis erectis ac dedicatis DEO in memoriã Martyrum, illaque ipsa consecrabit adhibitis formulis verborum & ceremoniarum quarundam, quas inter quoque erat Reliquiarum illarum Religiosa adservatio. Ecclesiam, in qua à fidelibus peregrinationes & itinera suscepta sunt ad corpora Martyrũ, ut ipsorum meritis sociarentur, ipsorumq; intercessionibus juvarentur; in qua ijdem fideles Martyres illos rogabant, ut orarent pro ipsis, in qua ipsorum festa celebrabant, ipsorum Reliquias venerabantur, ijsq; utebantur, ad exorcizandos malignos Spiritus, in qua Reliquias exosculabantur, floribus eas contingebant; eas in fascijs byssinis & vasibus aureis gestabant: in qua coram ipsorum capsis prosternebantur, offerebant Deo Sacrificia super eorum tumulos, contingebant religiosè cancellos locorum in quibus Reliquiæ ipsorum conservabantur, in pretio habebant pulverem illic collectum, illic orabant Martyres pro salute spirituali proq; sanitate & prosperitate temporali familiarum suarum, illuc deferebant non tantum infantes suos, verum etiam pecora ægrota ad obtinendam sanitatem; In qua etiam post recuperatam à Deo, intercessione illorũ Martyrum, valetudinem appendebant templis & altaribus in ipsorum memoriã erectis,

(a) *Chryf. 1. ad Cor. homi. 41.*

(b) *Greg. Nys. de Bapt.*

(c) *Aug. ubi supra.*

(d) *Basil. in 40. Mars.*

(e) *August. supra.*

(f) *Amb. de vid. Greg. Naz. Cyp. & alij.*

(g) *Aug. ps. 63. & 88.*

(h) *Hier. ad Marcel.*

Ep. 17.

(i) *Idem contra Vigil.*

(k) *Ibidem.*

(l) *Aug. de Ci. Dei. l. 22. c. 8.*

(m) *Hieron. adv. Vigil.*

(n) *Ruff. hist. Eccl. l. 2. c. 33. Chryf. 2. Cor. homi. 26.*

(o) *Hier. contra Vigil.*

(p) *Aug. ubi supra.*

(q) *Greg. Nys. in Theod.*

(r) *Theodoret. de Grac.*

aff. l. 8.

(s) *Paulin. Nolan. in natalem Felicis 6.*

(t) *Theodoret. supra.*

(u) *Basil. de sp. S. & alij.*

(a) *Tertul. de Monog. Aug. de verbis Apostol.*

(b) *Aug. de cur.*

(c) *Chryf. Phal. hom. 3.*

(d) *Epiph. Hares. 75. Aug. de Hares. c. 53.*

(e) *Hier. ad Marcell. Ep. 53.*

(f) *Epiph. in compēd. & in Anaceph.*

(g) *Concil. Laodic. c. 52.*

ctis, imagines aureas atq; argenteas, earum sui corporis partium, quæ sanata fuerunt, in signum scilicet ac memoriam inpetratorum, quæ vovebant bonorum; in qua docti, pij, & veteres Episcopi hæc recitant, extollunt, veluti radios totidē, indicia, & triumphos gloriæ Christi. Ecclesiam, quæ (u) traditiones Apostolicas non scriptas, sed viva voce, & visibili atque oculari Apostolorum actu, ipsorum successoribus consignatas, pari in pretio habuit cum scriptis ipsis Apostolicis; quæque pro traditionibus Apostolorum ea ipsa tenuit, quæ nos pro Apostolorum traditionibus tenemus. Ecclesiam, quæ preces instituit pro vivis (a) & defunctis, tum privatas tum publicas, ut ipsis refrigerium & quietem consequeretur, obtineretque à DEO, ut majore ipsos misericordia tractaret, quàm quidem ipsorum peccata merebantur; quæque consuetudinem istam habuit pro (b) necessaria ad animarum ipsorum refocillationem; quæque eandem retulit inter (c) doctrinas Apostolica traditione ad se transmissas; deniq; quæ illos, qui (d) consuetudinem illam non observabant, reposuit inter hæreticos. Ecclesiam, quæ Quadragesimale Jejunium habuit, non (e) pro libera & spontanea consuetudine, sed pro necessario opere & traditione Apostolicâ (f) quæq; eos hæreticis adnumerabat, qui consuetudinem illam non observabant; quæ etiã toto Quadragesimæ tempore, tanquam in publico Christianorum lumine, (g) prohibebat nuptiarum celebrationes & solemnizationes matrimoniorum. Ecclesiam, quæ extra Pentecosten, per univ^{er}sum annum,

annum, diem Veneris observabat in memoriam mortis Christi, excepto eo, in quem incidebat Natalis Dominicus, (h) quem illa nominatim exemit, ducta Apostolicæ traditionis autoritate, nam de Mercurij diebus non loquor, in quorum locum ab Ecclesia Orientali dies Sabbati suffectus est. Ecclesiam, quæ (i) Conc. Neoc. c. 1. Euf. de Demonst. Evang. l. 1. interdictum (i) factum Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, de nõ ducendis uxoribus post c. 9. Concil. Carthag. 2. ipsorum promotionem, habuit pro re necessaria & pro traditione Apostolica. Ecclesiam, cap. 2. Epiph. hæres. 59. quæ (k) matrimonium post vorum solemne castitatis habuit pro peccato, idq; per traditionem Apostolicam; (l) quæque religiosos & religiosas, post solemne votum castitatis se matrimonio dantes, non tantum adulteris accensuit, verum etiam incestuosus. Ecclesiam, lib. 1. quæ (a) mixtionem aquæ cum vino in sacrificio Eucharistiæ tenuit pro re necessaria & traditione divina atque Apostolica. Ecclesiam, cap. 24. quæ (b) exorcismos, insufflationes, & abrenunciationes, quæ in baptismo fiebant, habuit pro sacris & traditionis Apostolicæ ceremonijs. Ecclesiam, quæ præter baptismum & Eucharistiam, quæ erant Sacramenta duo initiationis religionis Christianæ, habuit (c) Confirmationem, quæ fiebat Chrismate & signo Crucis, pro verò & propriè ita dicto Sacramento, quod (d) à solis Episcopis conferri posset; præterea (e) Matrimonium quoq; pro vero & proprio Sacramento, itemque (f) Pœnitentiam; (g) Confessionem verò vocalem, quæ fit Pastoribus Ecclesiæ, pro conditione, necessariò ad hoc Sacramentum requisitâ; Sicut eadem, quoque pro veris Sacramentis Ordinem, & vide infra l. 2.

(h) Epiph. in compend.

(i) Conc. Neoc. c. 1. Euf. de Demonst. Evang. l. 1. c. 9. Concil. Carthag. 2. cap. 2. Epiph. hæres. 59. & alij.

(k) Epiph. cont. Apost. Hæres. 61.

(l) Chrys. ad Theod. o. rat. 2. Ambr. ad Virg. laps. Hier. cont. Iovin. lib. 1.

(a) Cypri. ad Cecil. epi. 63. Concil. Carthag. 3. cap. 24.

(b) Aug. de pee. orig. cap. 40.

(c) Aug. cont. Pet. l. 3. cap. 4.

(d) Hieron. contra Lucif.

(e) Aug. de nupt. & cõcup. 1. cap. 17.

(f) Ambr. de pan. c. 7. Aug. de Bapt. contra Donat. l. 5. c. 20.

(g) Leo. Ep. 91. & alij

- (h) *Aug. cont. Parm. l. 2. c. 13.* (h) extremam Unctionem habuit. Atque hæc sunt septem illa Sacramēta, quæ Ecclesia Romana agnoscit, quæque (i) Græca communio adhuc profitetur se nobiscum amplecti. Ecclesiam, quæ Ceremonijs Baptismi usa est (k) oleo (l) sale (m) luminaribus, (n) Exorcismis, (o) signo Crucis (p) voce ΕΡΗΤΑ alijsq; similibus accidentarijs rebus ut per oleum testaretur nos in Baptismo factos esse Christianos, hoc est unctionis Christi participes; per salem, DEUM in Baptismo nobiscum paciscī fœdus æternum juxta phrasin Scripturæ, quæ fœdera æterna vocat fœdera salis; Per luminaria, Christum esse lucem illam, illuminantem omnem hominē, venientem in hunc mundum; per (q) Exorcismos, nos Baptismo asseri à possessione diaboli; (r) per signum Crucis, mortem Christi adfundere vim omnibus istis Sacramētis; (s) per vocabulum ΕΡΗΤΑ, Deum spiritualiter in nobis efficere in Baptismo, id quod corporaliter effecit in surdo illo & mutuo. Ecclesiam, quæ Baptismum in adultis necessariū (t) statuebat necessitate conditionata, (a) infantibus vero necessitate absoluta, quæque idcirco permittebat (b) Laicis, ut in periculo mortis baptizarent infantes. Ecclesiam, quæ aquā benedictā, & verbis quibusdam ceremonijsq; consecrata, usa est, tum (c) ad Baptismum, tum (d) ad dissipandas incantationes tum ad Exorcismos & (e) conjurationes malorum Spirituum. Quocirca etiam B. (f) Gregorius Magnus (etsi quatuor primis Synodis posterior, tamen irrefragabilis Anglis, omnique apud eos exceptione major, quippe, qui originem missionis suæ ab ipso traxerunt,) quam
- (i) *Innoc. 1. ad Decent. cac. 8.*
 (k) *Cens. Orient. Eccl. cap. 7.*
 (l) *Cypr. Ep. 70.*
 (m) *Conc. Carthag. 3. cap. 5.*
 (n) *Greg. Naz. de Bapt. cap. 7.*
 (o) *Aug. Ep. 101*
 (p) *Aug. cont. Jul. l. 6. cap. 8.*
 (q) *Ambr. de Sacr. l. 1.*
 (r) *Aug. Ep. 105.*
 (s) *Aug. in Ioan. tract. 118.*
 (t) *Ambr. de Sacr. l. 1.*
 (a) *Aug. de ani. & ejus orig. lib. 3. cap. 1.*
 (b) *Tertull. de Bapt. Hier. contra Lucif.*
 (c) *Basil. de sp. S. c. 27.*
 (d) *Epiphan. Hares 30.*
 (e) *Theod. hist. Eccl. l. 5. cap. 27.*
 (f) *Greg. l. 9. Ep. 71.*

quum Anglia à Paganismo ad Religionem Christianam conversa est, constituit decrevit- que, ne quis Tempia Paganorum demoliretur, sed ut asperione aquæ benedictæ expiantur. Ecclesiam, quæ in œconomia ministri- j Ecclesiastici diversos gradus habuit, (g) (g) *Conc. Laod. c. 24. Carthag. 4. Can. 2. & seq. Valens. & Grat. Cod. l. 1. Tit. 3. l. 6. Hier. ep. ad Tit. l. 3. & alij.*

Episcopum, Presbyterum, Diaconum Acoly- thum, Exorcistam, Lectorem, Ostiarium, eos- que consecrabit, benedicens ipsos varijs for- mularum & ceremoniarum ritibus, quæque in ordine Episcoporum diversas observabat

sedes Jurisdictionum de jure positivo, nimi- rum Archiepiscopos, Primates, & Patriar- chas, ac præter hos vnum (h) præcæteris Jure divino eminentiorem, Papam scilicet (i) sine quo nihil decidi potuit rerum ad Ecclesiam vniversalem pertinentium, adeò vt, si ipse vel in propria persona, vel per Legatos, Conci- lio non interfuisset, aut si confirmationem non adhibuisset, talia concilia, etsi vocaren- tur fortè vniversalia, reipsa tamen cassa irri- taque essent, & nullius pretij. Ecclesiam, quæ (k) successionem haut interruptam Episco- porum à prima inde missione Apostolorum deinceps habuit, pro conditione essentiali Ecclesiæ, eosq; qui successione tali destituti erant, aut qui cum talibus communicabant, judicavit Schismaticos & ejusdem cum Core Dathan, & Abiron, maledictionis reos. Ecclesiam, quæ discrimen inter Episcopum & Presbyterum accuratè retinuit, & nomina- tim in casu Ordinationis, habuit pro divini juris & (a) traditionis Apostolicæ, quæque pro (b) hæreticis illos habuit & condemnavit, qui discrimen illud confundebant, Eccle- siam,

(h) *Hieron. ad Damas. Ep. 57. de duabus Ep. Pelagij l. 1. c. 1. & Ep. 92. Concil. Calced. Ep. ad Leon. alijq; vide in- fra cap. 25.*

(i) *Socr. hist. Eccles. l. 2. c. 8. Sozom. lib. 3. c. 10.*

(k) *Cyprian. ad Magn. Ep. 76. & de unitate Ecclesiæ, Chryf. ad Eph. hom. 11.*

(a) *Hier. ad Evag. Ep. 85. in fine.*

(b) *Epiph. hæresi. 75. Aug. de hæres. cap. 53.*

- (c) *Aug. de grat. & lib. arb. c. 2. & ep. 46. Cyril. in Ioan. l. 4. c. 7.* siam, (c) quæ doctrinam de libertate arbitrij habuit pro doctrinâ fidei, & in scripturis sanctis revelata; quæ tenuit, (d) fidem solam sine operibus Evangelicis non sufficere ad Salutem; (e) impios, perseverantes vsque ad finem, esse reprobatos, sed non prædestinatos ad malum; (f) certitudinem illam, quam singuli de sua prædestinatione præsumunt, esse rem temerariam. Ecclesiam, in quâ officium per totum Orientem fiebat lingua Græca, & per totum Occidentem, tam in Africa, quam in Europa (g) lingua Latina, etiam si in nullis Europæ atq; Africæ Provincijs, exceptâ Italia, & urbibus in quibus residebant Coloniz Romanorum, lingua Latina à plebe vulgarî intelligeretur, sed à solis ea caperetur eruditioribus. In summa, Ecclesiam, quæ vel in genere, vel in specie, vel formaliter, vel anagogicè, iisdem planè ceremonijs, hoc est, visibilibus verbis, usa est, quibus hodie universaliter utitur Ecclesia Catholica, (h) observabat enim distinctionem dierum festorum & ordinariorû, distinctionem habituum in Laicis & (i) Ecclesiasticis; (k) distinctionem & venerationem vasorum sacrorum; usum (l) tonsuræ & (m) unctionis ad collationem ordinum; ablutionem (n) manuum ad Altare ante consecrationem mysteriorum; eadem quoque osculum (o) pacis dabat ante communionem; pronuntiabat (p) partem ministerij ad Altare voce secreta & non exaudibili; processiones (a) instituebat cum Reliquijs Martyrum; deducebat defunctos ad sepulchrum cum (b) cereis & luminaribus in signum gaudij & certitudinis futuræ resurrectionis; habebat Christi & San-
- (d) *Aug. de grat. & lib. arb. c. 8. & l. 83. quæst. 9. 76.*
- (e) *Prosper. ad art. sibi impositos.*
- (f) *Aug. de corrept. & grat. cap. 13. & alibi.*
- (g) *vide inf. l. 12. de lingua Officij.*
- (h) *Aug. ep. 118. & ps. 63. & 88.*
- (i) *Conc. Laod. can. 22. & 23. Hier. ad Heli. ep. 3. Theod. hist. Eccl. l. 2. c. 27. Cod. Tit. 2. libro. 21.*
- (k) *Hier. præf. in ep. Theoph. Opt. l. 1.*
- (l) *Theod. hist. l. 5. c. 8. Vict. Turon. in Zen. Isid. de div. offic. l. 2. c. 4. & Cöcil. in Trull. c. 33. ambo ex vetere usu Ecclesie.*
- (m) *Greg. Naz. de pace or. 1. Idem in Basil. Auct. de unct. Chris. Greg. in Reg. l. 4. c. 5.*
- (n) *Cyril Hier. Cat. mys. s.*
- (o) *Conc. Laod. cap. 19.*
- (p) *Concil. Laod. ibidem*
- (a) *Aug. de Cin. D. l. 22. c. 8. (ras. 2.)*
- (b) *Greg. Na. in Inl. O-*

Sanctorum picturas, tum^(c) extra Ecclesias, (c) *Euseb. de vita Const.*
 tum in (d) Ecclesijs. atque adeo super (e) ipsa l. 3.
 etiam Martyrum altaria, non ad eas adoran- (d) *Paul. ep. 12. Bas. in*
 das, quatenus adoratio significat cultum divi- *Mart. Barlam. Greg.*
 num, sed ut per eas veneratio, athletis & lu- *Nyff. in. S. The.*
 ctatoribus Christi debita, exhiberetur. Ute- (e) *Prudent. in S. Cassiã.*
 batur (f) signo Crucis in omnibus suis cõver- (f) *Tertul. de Corõ. milie.*
 sationibus, illudq; (g) imprimebat frõti Cate- (g) *Aug. de Symb. ad*
 chumenorum, inscribebat (h) porticibus ædi- *Cat. l. 2.*
 ficiõrum omnium fidelium, dabat (i) benedi- (h) *Cyrl. contr. Ju-*
 ctionem populis manu per signum Crucis, ad- *lian. l. 6.*
 hibebat signum (k) illud ad pellendos mali- (i) *Hieron. in vita Hi-*
 gnos Spiritus, proponebat Hierosolymis (l) *larion.*
 veram Crucem adorandam die sancto Vene- (k) *Athanas. cont. Idol.*
 ris. Utebatur thure in Synaxibus; nec verò (l) *Paulin. ep. 11.*
 thure Arabico, sed promiscuè quolibet gum-
 mi odorifero: neque enim thymiamata ha-
 bebant amplius pro sacrificio, quemadmodum
 tempore Legis, sed pro simplici Ceremonia,
 instituta ad representandum effectum pre-
 cum, quem describit David his verbis, *ascen-*
dit oratio mea sicut thymiana coram te: & Jo-
 annes in Apocalypsi his verbis: *Fumus thy-*
miamatum orationum Sanctorum ascendit de
manu Angeli coram Deo. Denique Ecclesiam,
 quæ pro certo ratoque habuit Ecclesiam Ca-
 tholicam habere promissionem infallibilem
 quod debeat esse (m) perpetuo pura & incor- (m) *Chryf. in Matth.*
 rupta in doctrina & Sacramentis, perpetuoq; *hom. Evang. hist. Ecc. l.*
 adstricta & continuata in successione sui mi- *4. c. 7.*
 nisterij, & cujus solius esset (n) conservare (n) *Vide supra cap. 3.*
 Traditiones Apostolicas, auctoritatem inter- (o) *Tertul. de præscr.*
 pretandi Scripturas, & decidendi controver- *Iren. l. 3. c. 3. & l. 4. c. 32.*
 sias Fidei; & extra ejus communionis, do- *atq; alij. Vide infr. lib. 6.*
 ctinæ, & ministerij successione, neque Ec-

clesia esset neque salus. Atque ex istis Rex ipse Serenissimus; si modo ea per otium sufficienter placebit expendere, deprehendet, quænam fuerit facies Ecclesiæ Catholicæ, tempore, B. Augustini & quatuor primorum Conciliorum. Nunc est Regis despiciere, sitne ex hoc vultûs lineamento agniturus Ecclesiam Calvini, (*Lutheri, Calixti,*) an nostram.

Hactenus Perronius, qui clarum acuit, cui sincerum pectus nullum resistendo erit: Et ne desit qui altè insingat, ac inseparabili nexu conjungat Christo, ejusq; Vni, Sanctæ, Catholicæ Ecclesiæ salutis suæ amantem animum, mallei vicem tantisper agat, subsequens P. Jacobi Kelleri peroratio.

P. IACOBVS KELLERVS, peroratione libelli sui de Tyran:

Illustrissimi Principes, si nullis Celsitudinum Vestrarum ingratijs fieri potest, quando cum Prædicantibus contentiosum funem trahere supra ingressus sum, liceat eundem vel semel adhuc velere, non odio certè hominum, sed Religionis fideiq; avitæ Zelo. Si nimius sum & molestus, Libellum deponite, & vnà suspicionem; si quam tamen injecit vobis Ministrorum incondita mentiendi garrulitas. Quamquam operæ pretium autumo, etiam pauca, quæ superant, decurrere: Causa agitur animæ, Religionis, Dei. Si perperam sentio, dissentite; si benè, subscribe. Sed & ad Latus paulisper Ministri secedant; auditû soli sunt, & rectè videbantur loqui, quia, qui obloqueretur, non erat: facilè, quod dicitur, defenditur, vbi nemo impugnat. Contraria sæpè probaremus, si nosceremus: propè vnicum doctrinæ Prædicantiæ apud Principes stabilimentum est, inopia increpantium, & saniora suadentium. Si ad
libros

libros iretur, si Catholicorum scripta volverentur, insulsæ Ministrorum technæ faciliè paterent. Sed aut non vacat Imperij proceribus, aut libros illi avertunt qui dare debebant, si liti suæ præfiderent: ego enim intelligentibus libenter ostendo nudum adversarij latus: & genus victoriæ est, hostem ab arbitris aspici ac contemni, sed Prædicantes nemini aditum, nemini fores aperiunt; soli audiri, soli observari volunt, & nescio quo decantato carmine obtinent. Illustrissimi Principes, quid solis Prædicantibus jungimini? Non illi vobiscum, non vos cum illis staretis, si imposturas eorum nosssetis: doceant vos non divina, sed sua: Sacræ literæ velum sunt doli ac fraudis. Non est verbum DEI quod auditis, sed Prædicantium, qui illud cogunt ad suum sensum, hæresi dementatum. Progenitores vestri habuere quoque Biblia, sed aliter intellexerunt. Ministri isti ignota antiquitati commenta declamant, & in sedecim retro secula mentiuntur; Apostolicos se nominant, cum ab Apostolis recesserint, nam ab illa Ecclesia recesserunt, quam sacro sanguine Petrus & Paulus purpurârunt, *cujus fides annunciata est in universo Orbe*; quæ Religionem, edoctumq; Christi cultum nunquam mutavit.

Respondeant vestri Ministri, Romana fides ab Apostolis plantata, addo & laudata, fides divina est; sed hanc Roma ad hunc quem agimus, annum magna integritate servavit; ergo divina est. Hic expedite Ministri in assumptionem impetum facient, tanquam eò prorupturi; sed in densos hastarum cuneos incurrent, & non vna cusvide figentur. Veritas à mendacio oppugnari potest, non expugnari. Si enim Roma aliquando fidem mutavit; respondeant ministri, quo tempore, quo Pontifice, quo Cæsare, quo Auctore, quo Scriptore; quis Historicus meminit? qui contra sese opposuere? an Occidens? an Oriens? quod Concilium? quis S. Pater? Sed inquirunt, non desubito Romam & aperte mutasse, sensim tecteq; in Idololatriæ barathrum delapsam; & scitum esse, Urbem abjecisse Religionem antequam sciretur abijcere, indormiente mundo. Effugia hæc Ministrorum sunt; nam Roma fidem, quam ab Apostolis didicit, semper docuit, neque abducent nos Prædicantes, nisi ostendant. Hoc anno erravit, hoc Pontifice. (interroget aliquis nos de Lutheri & ejus Vesanix ortu; mox Leonem X, Maximilianum primum, &

Carolus quintum nominabimus,) hoc Cæsare. Quid? arbitrantur Ministri nos tam bardos, ut credituri simus, neminem observasse vel notasse, Ecclesiæ Romanæ ad Idolomaniam transfugium? qui ipsi jam observant, si nullus veterum observavit? Observarunt, inquit, sed non tradidere literis, ad posteritatem venturis. Quæ hæc causa? an ingenium defuit Patribus? aut manus? an charta & calamus? an animus aut voluntas, violatæ Religionis Vindex? Et vnde illis hoc ipsum notum est, si nemo scripsit, nemo ad posteros testatum transmisit? Primi sunt Prædicantes, qui hæc asserunt sine teste, sine pudore. Non adeo publicæ rei aut incuriosi, aut negligentes fuere veteres, ut vel ista non scirent, vel posteris nescirent. Ignobiliorum sæpè locorum, hominum obscurorum, religionem turbantium, Sacrilegij furores, per decurrentes seculorum annos, scriptis proditi sunt; cur sola Roma præterita esset? Roma, inquam, caput mundi, quæ non tam in Latio, quàm in toto Orbe, religionis ac politicæ Magistra est. Latere res tanta non poterat, præsertim cum nunquam defuerint Romani hostes, quos, nescio quæ illecebræ vindictæ potuissent trahere ad calamum, ut veram Ecclesiæ notam inirerent, quia falsâ non profecerant.

Non est quod Pontifices quosdam in medium ducant, eosque hæresis accusent. Scimus, Anastasium, Vigilium, Honorium compluresque alios hoc nomine infamari, sed ab infamibus. Si quidam Scriptorum hos reprehendere plures defendere; cur illis creditur, non istis? Veri Christiani est, de Christiano bona credere, ubi bona narrantur, & meliora, ubi mala narrantur. Sed Ministri semper deteriora legunt, & reperiunt alios, ubi ipsi sunt. Verùm errarint isti, (do, rixæ finiendæ causa, non enim pro vero habeo) errarint plures, quid victoriæ obtinetur? De Roma mihi quæstio est, de Roma respondere volo; quando illa Christum exiit? quando illa DEUM deseruit? quando illa fidem mutavit? Hic finis fandi est, hic sacra silentij, hic Angerona colitur; omnes muti sunt, omnes pisces; nulla vox, nulla anima.

Eamus porrò. Quis nobis Germanis lumen Evangelij primo intulit præter Romam? ab ea venere Apostoli, ab ea Doctores: quid docuerunt? eam fidem, quam adhuc Roma colit, & investes isti ju-

vènes persequuntur. Quæro enim, quam fidem Germanis nunciariæ Bonifacius? quam Rupertus? quam Burchardus? quam Ludgerus? quam alij Episcopi Roma missi? Romana sacra, Romanum cultum, ab ijs habemus; aut si hæc negatum eunt in tonsa Prædicantium, menta, dicant, à quo alio fidem, à quo alio sacra, & Dei cultum acceperit patria nostra. Si à Romano Pontifice, cur tanto ubique tonitru proclamatur AntiChristus? An hic sacrorum omnium everfor, & Christi hostis, Christum per tot oras divulgasset? Christiani non esletis, nisi Pontifex fecisset. Facessite cum Antichristo, per quem Christum noscere cœpistis. Quis vobis Calvini deliria, quis Lutheri persuasit insaniam? Si dicerem, Pontifex; sibilis juberet conticescere: fieri enim non potest, ut hostis hostem velit florentem. Eadem stultitia est, asserere; Per Pontificem Christiani sumus, & Pontifex Antichristus est.

Non est contra Christum, qui Christum paganis annunciat, sed qui Christum è Christianorum plagis exterminat: illud Papa, vos hoc facitis. Et non injuriâ ingemiscit Germania, se se, dum quotidie novam fidem habent, paulatim habere nullam, quicquid tamen apud vos Religionis reliquum est, à Papa est.

Quæ cum ita sint, hunc mihi nodum enodate. Germania ante Lutherum aut fidem veram habuit, aut nunquam habuit? Quis dicet, nunquam, præter impudentiam? Si aliquando, ergo interea semper; quia nunquam mutavit; atque etiam porro in avita perdurasset, nisi Lutherus è cucullo magnum Sectarum numerum excussisset. An lubet mutire, quod subinde audio; Majores nostros fidem veram habuisse, sed non puram? Quid hoc est dicere, Majores habuisse admixtos Religionis errores? Veriùs ego ingeminare possum; Ministros habere sapientiam sed non puram, quia multa fatuitas permixta est. Ratiocinemur & nos more Prædicantium, & dicamus: His Prædicans Arithmeticæ peritus est, sed sæpe in subducendis errat, calculis. Pudendum inventum. Non est error in Ecclesia, cui Doctor DEUS est, & omnem veritatem docet. Hic vel ille in Christiano cœtu labi potest, labi omnes non possunt: in quas enim Cimmericas miseri mortales mitteremur, nisi certum esset, adesse duces, incertitudinis securos.

Sinamus autem, nobis persuaderi, Prædicantes ad hæc omnia respondere nosse, atque etiam ea confutare; nusquam esse vel rei vel sermonis ambiguos, ubique firmos, ubique constantes; persuaderi tamen hoc unum non poterit, voluisse DEUM Ecclesiam suam labentem fulcire per homines, immortalibus juxta ac mortalibus invisos. Quid? Lutherus, Calvinus, Beza, alijque de genere eodem, Ecclesiam pristino splendori restituerent, atque collapsos Christianorum mores corrigerent? Illam turpiter deformarunt, hos corruperunt. Quis fuit Lutherus? videamus; nam ut videri posset, cucullum exiit, votisque suis pro nihilo habitis, cœpit esse, quod multis ante annis deserat esse, ut melior esset. Ad seculum redijt sacer Monachus, & orbem terrarum discordiæ flammis incendit, publicæ calamitatis auctor, & acerbus irrisor.

Sed quia Religiosorum Ordines, vos diaboli inventum appellatis; Lutherum è Monasterio excedentem magnis præconijs prosequimini. Voverat enim secundum vos, & malum nesciverat, & nos nescimus malum vovere; sed scimus malum, votum violare. DEO autem dicatorum hominum cœtus ut defendam, non est meæ jam operæ; præstitère id alij; & stant suis ipsis viribus invicti; cadunt, qui impugnant.

Eruperit verò Lutherus cum causâ è Religionis claustro; sine causâ certè, castitatis promissum sefellit; utque alij innumeri pariter fallerent, disjectis Monasteriorum repagulis, promiscuum ac divinis infidum vulgus magno agmine excivit; tibijs tympanisq; ludens, prælucentibus Hymenæi tædis, ad choreas ac thoros vocavit, qui terrificâ cum devotione, Christi erant, & manere debebant. Fallax ac perjura manus Monachi; quis enim aliter appellet à Dei manu retractam dextram, ac fidei oblitam? Sciens volens Lutherus continentiam Deo ritè ac solenniter addixerat, neque licuerat unquam rescindere pactum; rescidit tamen, ac fœdus cum spurca Venere pepigit, seris seculis pœnitendum. *Vovete ac reddite*, ait Deus; *Vovete & violate*, Lutherus; & tamen Apostolus audit, Apostatarum petulcissimus. At audio vocem mussantium; voveri non posse, quæ præstari nequeant. Ita est; ideo ego non voveo, ut Prædicantes Calviniani verum dicant, Quod verò hoc responsum, aut cujus, fieri non

non posse, ut cælebs vivas? Nec Satyrus isthæc, roganti, redderet. Animi tui petulantia facit, ut nequeas; vires à cælesti Numine datae suppetunt; velis, poteris. Voluere Apostoli, voluere Martyres, voluere sine numero alij, & potuere: an tu solus nanus es, & impotentes habes manus? si robur abesse reris, superesse tibi os & linguam scito; attolle vocem ad superos supplicem, expete auxilium. *Si quis autem vestrum indiget sapientia (castitate) postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei.* Jacob. 1. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joan. 16. Quid vis amplius? Postula: fieri poterit. *Sed melius est nubere quam vri,* inquit Apostolus, inquit, scio; sed non ad tegumentum damnatae lasciviae. Vox istæ Apostoli liberos spectat, nondum promissos, nondum Deo dicatos; his enim procul dubio melius est, extra periculum facere, quod in periculo facturis facere non licet.

Quis jubet autem te hoc *Vri* diù in sinu fovere? si flammula micat, extingue; fontem pota; subduce ligna; epulis abstine; excute carbones; multifido terghus flagello tunde, & protervum Behemot vi expugna. His tu mihi modis in ignem inhonestum utere, qui Deo devotus es; nubere enim mortali non potest, numini despōsus; & Religiosus adulter fit, non quod matrimonium violet, sed quod ineat. Anteferendum autem cælebi vitæ conjugium, eorum est placitum, qui flagitia sua nuptiarum velamine contacta volunt. S. Paulus & meliora fecit & meliora docuit; ad Corinth. c. 7. ait: *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; & qui non jungit, melius facit.* & mox: *Beatior autem erit, si sic permanserit.* Quis prudens posthabitâ istâ Apostoli voce, Erymanthæum grunnitum audiat? Est honora omnino conjugum vita, atque etiam magno Sacramenti nomine nobilitata; Virginitas tamen superat, quia hominem supra hominem locat, facitque in terris, sine cælo, cælestem degere.

Luthero virtute haud multò inferior Calvinus; exordium, Evangelij ejus turpius: nam, posteaquam ob abominandum Sodomæ scelus (auctor est Hieronymus Bolsecus in vita Calvinij, c. 5.) candenti ferro, manu Carnificis, ustus fuit, Apostolatam suam magna igne spiritus flagrantia inchoavit.

Zwinglius, iuramenti votiq; contemtor sui, orfus est concionari telis, ac hastis, iisdemque periit.

Beza Parisiensi cuidam Sartori Vxorem abduxit, vt eam Geneva ipse Parocham duceret, novamque è lacu nascentem Ecclesiam illustraret, geminus Adulter. Vide Bolesecum de vita Bezæ, pag. 1. f.

Quis ex Apostolis, quis ex Episcopis, quis ex omnibus Doctoribus, par istis vnquam initium dedit Ecclesiastico muneri? Olim ante Christi ortum veteri in lege, ad castigandos seu mores seu errores eorum, qui in Synagoga extra Synagogam vivebant, & ad Idola cursitabant, misit Deus homines virtute spectabiles, prodigijs verendos, vitæq; asperitate mirandos. Cur Ecclesiam, suam charissimam sponfam, posthabeat exoleto jam Synagogæ silicernio, & pares non mittat? Sanctiores desideramus, Sanctiores expectamus: quid facri pijs concionarentur isti? Lutherus inter temetum & pocula; Zwinglius inter ferrum & arma; Calvinus inter ignem & Laminam; Beza incestas inter choreas?

Ambigere non habeo, Principes, quin hæc Progenitores vestri advertissent, nisi Glaucomata quædam opum ac volpratum oculis obduxissent Ministri: habent suas escas, habent suos hamos, capiuntur & ipsi, nisi capiant, se decipi, ac decipere. O inclyta Germaniæ profapia Principes! O Heroicus Sanguis! qui exteris sæpe Reges abstulistis, sæpè dedistis; mementote, vnde hæc fortunæ vobis decora, vnde parta sint ornamenta. Fidei Romanæ debetis, vnde vobis supremum illud Imperij Sceptrum, quod immortali manu tenetis? Romano ferte Antistiti in acceptis.

Fuit quidem ævum ante Christi nomen auditum, belli gloriæ, & nativâ parentum nostrorum probitate illustre, exterisq; Scriptoribus celebratum; sed defuit Urbanitas Vitæ, defuere mores, defuit cultus, defuere demum illa, propter quæ jam magni estis, ô Principes; neque enim nostris antè omnis barbaries absterfa est quàm sacro fonte abluerentur; cum, Deo agnito homine, Principes, primum homines induistis, & magnitudinem istam vestram, invidente terrarum Orbe, per egregia facta ingenti virtute vendicastis.

Erexitis ea Martiorum facinorum trophæa, vt alienarum multæ nationum exemplum æmulandi habuerint, non habuerint fortunam.

Vos habuistis; & hospitata illa est magna tranquillitatis aura, & per octingentos & amplius annos in Germanico solo, æternam fixura sedem; sed, quia tandem nimia fuit, abitum respectare cepit, agmine Apostatarum infestante ac turbante, qui veteres leges, veterum Ritus, vbi potuere, abolevere, vbi non potuere, maledictis proscidere. Nihil vsquam probatum fuit, nisi quod ipsi probassent, & fors probassent aliquid, si sese probassent. Nam, vt illos solos audiamus, vt illis solis credamus, spretis tot Patribus, tot antiquis Doctoribus, tot Sanctitate præcellentibus viris, nemo nos adducet, nisi ab omni mente abducat. An illis vnus sol conditus, & nos omnes in caligine sedemus? an illos solos rationis radius illucet, & nobis omnibus densæ affunduntur nebulæ? an nos adeo incitiæ abyssso immerfi, vt vestris Ministris ingenio, doctrina, experienciâ, ne pares quidem simus? Ipsi sibi verum vendicant; nos nobis. Utrinque causæ sunt, vtræque nobis notæ, fortasse, & Prædicantibus non obscuræ; ponderosiores tamen nostras merito remur, quia vestri Prædicantes deserti stant ac nudi.

Nobis omnis Orbis Orthodoxus, omnis adest antiquitas, omnis ætas, omnis melior cultus. Nostri sunt omnes, decursi ante Lutherum seculi, sunt ulterioris, sunt omnium. Nostri sunt Martyres, nostri sunt Apostoli. Dicuntur ista, & probantur. Nam ab his nos non annum defecimus, non mensē, non diem; neque interrupimus unquam bene credere. Si secus, ostendant Ministri deliquij nostri tempus. Ipsi à nobis abiere, à nobis discessere; & tamen longa Catena, pendebamus ab Apostolis, nusquam violato, intermisso nusquam, ordine aut successu. Soli per omnem ætatem cum illis steterē, qui totius orbis iudicio sectarij habiti sunt & damnati. In Calvini acie est Berengarius, totius Europæ calculo proscriptus: sunt plures ejusdem notæ. Cum Luthero manus volitat, anathemate Ecclesiæ publico percussa, Vigilantius, Jovinianus, Donatus, Novatianus, Proclus, Eutyches, Wicleff, Hufs. Nullum laudatum, nullum probatum habent, ex tanta annorum serie, qui in omnibus, aut cum hoc, aut cum illo, faciat. Verum, quid veteres cum istis convenirent? inter se ipsi magnâ rixâ decertant; & video, quid quisque velit; quid omnes velint, nec ipsi vident. Quis major Lutheri hostis, quam Cal-

vinus,

vinus? quis major Calvini, quam Lutherus? inducias tantum faciunt, cum in Catholicos itur. Neque inter sese amici esse unquam possunt, nisi ex aliena inimicitia. Cui tandem, per DEUM immortalem, credendum? Verbo DEI? mox audiam; jam enim iurebuit, Prædicantibus, ex sacris litteris solum pronunciantibus, credendum; garrientibus autem atque aberrantibus fidem abrogandam. Sed quis mihi tibi dicit, quando à Verbo DEI Prædicans abeat? Non omnino fatuum te voles, sed auritum quoque, ac intelligentem; non abnuo, sed tuus etiam Prædicans audit, etiam intelligit. Si bene, quid diffidis? si male, qui tu bene? si errare potest, qui docet, ne tu erres; quomodo tu non errabis, qui non didicisti, ne errares? An, verò certus esse potes sensus, si incertus ipsius scripturæ? esse autem, te sacræ scripturæ incertum, demonstro, hunc in modum. Si quis paternum tibi Testamentum, alienis passim legatis oppletum, obtrudere vellet, non illico, opinor, incogitans admitteres: de fide primùm ejus, de signo manuque paternâ, de testibus ac tabulario, de reliquo Juris humani, inquireris; inventis his pro legitimo, non inventis pro spurio haberes; neque enim satis creditur, quod non satis probatur. Par ratio testamenti est, à DEO nobis relictum; cujus sanè certi sumus, si vel DEI manus vel signum vel testes vel tabellio fidem faciant: at tuis in Biblijs ubi ista? quo tu argumento ductus, testamentum DEI credis? quod tuæ persuasionis momentum? quod rationis pondus? DEUS ipse non consignavit; nulli sunt testes, nullus tabellio, de quo non possit ambigi. Spretis sanè irrifisque traditionibus, contemptâ Ecclesiæ auctoritate, non superat ullus in dextera. Et audes tu cæca quadam credulitate interquiescere, neque explorare porrò fundamentum? Libellis, signi inanibus, ne quidem negociatores credunt, cum de uno alterovè nummo lis est; & tibi satis sit, cum nihil sit, in tantâ causâ? Responde, qui potes; Unde Biblia tua? an à DEO? Adduci non possum ut credam, quia ostendere non potes. Si dicas, Prædicantes ita arbitrari, nihili arbitrium istoc facio; quia testes esse non possunt, qui testatori non adfuere, dum testamentum conderet. Neque est ut asserant, animi sese criterio agnoscere; nam criteria istæ varia sunt, & ab uno DEO non manant: Calvinus aliud judicat, aliud Lutherus, aliud alius: & licet iste, vel ille,

ille, rectè sentiret, quòd id mihi notum foret? nemo pectus adaper-
 tisse, nemo translucens cor habet. Video, sed non tam acurum.

Dein, in confesso est aut esse debet, hoc ipso in testamento qua-
 dam esse erasa, truncata, mutata, Lutheri Calvinique censoria manu;
 & si insequentes Ministri, pari consilio, mutilare perrexissent, lis
 omnis de scriptura desisset, quia & scriptura desisset. Sed eur li-
 bri, à Calvino Lutheroque exsecti, DEI non fuere, & sunt qui reman-
 sere? Non habent hi plus fidei, quia nec signum, nec testes habent.

Quid demum Evangelium Thomæ; quid Nazaræorum in cul-
 tum non venit nostrum? an illi non eadem quæ Marcus, quæ Lucas
 inscripsere chartis? Ecquid locum apud vos invenit Matthæus, non
 invenit Thomas? Ex Ezechielis prædictione, inquires, quatuor esse
 oportebat Evangelij scriptores. An non quatuor fuissent, si missò
 Matthæo legeretur Thomas, par Matthæo Apostolus? Cur Lucas
 Thomæ non cessit? at hijt hic ipsum Dominum loquentem, vidit
 ipsum magna patrantem; Lucas quæ nobis tradidit, ex alijs tantum
 accepit, facillius erraturus, si errare potuisset.

Nos Catholici in incertum non ferimur; nec tantum nobis est,
 quod credamus; est etiam quo credamus. Ecclesia perennem digi-
 tum in instrumentum intentat, aitque, DEI codicillum esse; aiunt
 idem ab omni memoriâ Patres, aiunt Doctores, ait una ac perpetua
 populi Catholici vox: nec totum duntaxat codicem designant, sed
 & singulos libros, singulas paginas, singulas sententias. Quod si
 dicas, & apud vos hæc testimonia esse & valere; rem factam habeo;
 hoc enim nihil aliud est, quam traditiones admittere, quas tamen in-
 genti fremitu semper aversamini: nam credere, hos vel illos esse sa-
 cros libros, quia Ecclesia prima, quia media, quia postrema, id testi-
 ficatur; traditionibus est credere: primi enim Christiani liberis, li-
 beri nepotibus, & hi seræ significarunt soboli, pervenitque ad nos us-
 que nunquam interruptus nuncius. Neque hoc Hunnius Ratisbo-
 næ negare ausus est. etsi oppidò voluerit; tolerata enim hac unâ tra-
 ditione, probandæ sunt plures, aut ruit omnis Prædicantium Reli-
 gio; nam cuncta illorum placita uno traditionum fulcro nituntur,
 si tamen nituntur. Quando enim totus liber auctoritatem à solis
 traditionibus habet; habent eandem à solis seu sententiæ, seu verba-

in eo contenta. Argumentantem me audite, Prædicantes, sed fami-
liari in Scholis dictione.

*Singula sacrarum litterarum sententia, earumque
sententiarum verba, inde auctoritatem habent, unde to-
tus liber sacer.*

*Sed totus liber (intellige secundum nos, aut cogni-
tionem humanam) a solis traditionibus auctoritatem
habet.*

*Ergo & qualibet libri sententia, ergo qualibet libri
verba, in idem suam sibi vim accepere.*

Item:

*Quod probatas reddit scriptura sententias, hoc
etiam probatos facit fidei articulos.*

*Sed traditio probatas reddit scriptura sententias;
Ergo etiam articulos fidei.*

Minor argumenti propositio ex dictis clara est, nam sententiæ li-
bri aliam auctoritatem non habent, atque eam, quam totus habet
liber.

Pergamus.

*Qui articulos fidei, sententiis sacra scriptura, pro-
bat, ex traditionibus probat.*

*Sed Lutherani Calvinistæque articulos fidei, sen-
tentiis scriptura probant.*

Ergo ex traditionibus probant.

Ex quo manifestè efficitur, omnem Ministrorum Doctrinam, tra-
ditionibus inniti. Quod si ita est, ad extremum, hunc Syllogismum
lari suo inferant.

Quod

*Quod traditionibus fulcitur, humanis neniis (ita
Ministri loquuntur) fulcitur.*

*Sed articuli Lutheranorum Calvinistarumq; tradi-
tionibus fulciuntur;*

Ergo humanis neniis.

Huc nimirum venit superba inscitia, ut se suaque ipsa destruat; nam, cum vult sola esse magnifica, sola omnibus evilescit, tandemq; sentit, quod sensum non habeat.

Explicatum abunde à me arbitror, magni Principes, cujusmodi Prædicantes sint ingenij, in Religione spectatis varios ac lubricos, in reliquâ vitâ leves ac ad quemvis Æoli flatum versatiles. Satis est illis, loqui; satis est, inimicos infectari; veris an falsis, nihil pensi habent: & tamen, non ad vulgus solum, sed ad proceres quoque suos, fidem habent, ac opinionem honesti: ita sua & nostra versutia velis abscondere nörunt. Longè aliter haud dubiè eveniret, si & nos contra audiremur. Principibus nostra perfido penicillo notantur, & reverà absurda sunt, quæ Ministri de nobis referunt, sed referunt sua. Non audiunt Principes, enarrari nostra Sacra, nostrum cultum, nostros ritus: audiunt insulsos Ministrorum Cavillos; & aliter omnino sentirent, si aliter acciperent. Dolendum hoc vnum est, improba fraude tantos Heroas decipi, ac aliò duci aliò volentes.

Ad majores suos adspirant, & ad Deum Patrum suorum, sed per Vestigia pergunt, non calcata Patribus: nec dicere possunt, jam primum sese rectâ gradi, Caroli, Othones, Friderici, Henrici, Conradi, ingentia Imperij nostri decora, reclamant: omnes aliâ jere; & quis ausit dicere, per tot annorum centurias in tenebris omnes palpasse? Non utique errarunt isti; sed illi, qui sequi detractant, quod miserandum est, errant, ne errent; quorum ego viam desistere habeo, ductoribus irasci, magis quam cum me meosq; maledictis incessunt; nam his nihil movemur, fatuorum insanorumq; verba aurem prudentum transeunt inoffensam: satis est, innocentiam nobis assertam; poenam pro reis novam haut postulo, maxima enim ijs poena est, deliquisse. Videatur & Philippica in anonymum Prædi-

cantem Calvinistam, auctore Jacobo Silvano, p̄ta, Kellero: quæ ex-
cusa est Anno cl̄. Is. cvil

*Fluctuatis adhuc pendetisve animi, Domini Aca-
demici? videte ne quid statuatis temerè, cuius vos æ-
ternum serò pœniteat: ne erretis, proxima pagella
Ariadnes filum in manus tradet, inestimabilis nimirum
momenti, considerationem P. Leonardi Lessij, seriò pon-
derandam: quanam sit fides amplectenda. Cuius item
argumenti rationes inuenietis quoq; apud Edmundum
Campianum, ad quem brevitatis amore vos remitto.*

P. LEONARDVS LESSIVS,
Sub finem Consultationis quæ fides ca-
pessenda.

Illa religio amplectenda in vita; quam in hora mortis nos te-
nuisse volumus, & cuius justam rationem, cum ante tribunal
Christi stabimus, reddere poterimus. De rebus enim agendis
non potest melior institui deliberatio, quam ex mortis & iudicij
æterni consideratione: nimirum vt illud hîc deligamus, quod in
illo articulo nobis maximè possit prodesse; illud vitemus, quod no-
bis tunc certam perniciem, vel saltem periculum, adferre possit.
Atqui talis est Religio Catholica. Quod enim, instante morte,
hanc præferemus, pater.

Primo, plurimorum exemplo, qui, etsi hæreticè vixerint, quan-
do tamen moriendum est, cupiunt mori Catholici: iudicant enim
id esse securius.

Secundo, quia quisque tunc optat, se plurima opera bona fe-
cisse, & magno studio omnia peccata vitasse; ad quorum vtrumque
inducit efficaciter religio Catholica, ad neutrum Lutherana vel Cal-
vinia.

vimiana, sed potius ad bonorum operum contemptum, & licentiam vitæ.

Tertiò, quia religio Catholica habet multa remedia, quæ in tremendo illo transitu non sunt contemnenda; vt, pœnitentiam peccatorum, absolutionem Sacerdotum, Sacramentum extremæ Vnctionis & Eucharistiæ; quæ magnam consolationem & fiduciam fidelibus adferunt, his enim satisfactio Christi nobis communicatur. Nuda illa fides res est valdè frigida & imbecilla in illo articulo. Quomodo enim seriò tibi persuadere poteris, Christum tibi esse propitium, te esse iustum & salvandum per Christum, qui remedia ab ipso instituta contemnis, & extra communionem Ecclesiæ Catholicæ mori constituis? Omnes Sectæ hujus temporis hanc fidem jactant, & tamen non omnes salvæ sient. Unica enim est vera Christi religio, extra quam nemini est salus; vt non solum omnes Catholici, sed etiam Lutherani, Calvinistæ, & Anabaptistæ docent. Nihil ergo proderit illa tua fides specialis, nisi Christi veram religionem teneas.

Quod etiam facilè rationem sui facti supremo judici reddituri sint, qui Catholicam sunt sectati, neque hac ex parte aliquid eis periculi impendat, perspicuum est. Faciamus enim, me stare ante tribunal illud tremendum, & interrogari, cur Religionem Catholicam seu Papisticam, vt illi vocant, sectatus sim, & non potius eâ desertâ ad novam illam, ex Calvini reformatione creatam, transferim. Respondebo cum summa securitate: Ideò Catholicam tenui, quia hæc docet, à rebus terrenis avocare animum, & transferre ad amorem cœlestium; docet, carnem domare, & Dei timore configere, bonis operibus insistere, superioribus obedire, vacare orationi, & omnem peccandi licentiam præscindere. Ideò Catholicam tenui, quia in hac video plurimos, sapientia, Sanctitate, miraculis, & prophetiæ spiritu, toti mundo admirabiles, quos impossibile est in tanto negotio fuisse deceptos: quia huic video singulis sæculis à Deo per miracula plurima testimonium perhiberi: quia in hac video divinas promissiones impleri: est enim hæc diffusa per totum Orbem; ad hanc facta est hæc hactenus & fit assiduè Gentium conversio: in hac, summa Doctorum, omnibus in capitibus fidei, concordia: in hac successio perpetua cathedræ & ministrorum omnium cum Apostolis connexio: in

hac omnium controversiarum velox decisio. Hæc per tot sæcula contra omnes hæreses & persecutiones tyrannorum stetit immobilis, nec quidquam portæ inferi adversus eam prævalere potuerunt. Contraria omnia in istis novis religionibus deprehendi. Nulla itaq; fuit mihi ratio ab hac religione discedendi, aut vlllo modo de ea dubitandi.

Verum, vt cetera, quæ commemoravi, omittam; nonne satis est ad omnem securitatem, quod conscius mihi sim, eandem religionem me secutum, quam video secutos viros sanctissimos, & miraculis clarissimos, Malachiam, Bernardum, Dominicum, Franciscum, & alios omnes qui jam à quingentis annis cœlesti conversatione & stupendis operibus orbi fuerunt admirationi? Clarè enim constat, fieri non potuisse, vt illæ cœlestes animæ, Deo adeò devotæ & addictæ, adeò charæ & familiares, in re tanta sint decepta? Securè itaq; hos duces in negotio religionis sequor.

Tu verò, qui aliam aliquam sectatus es Religionem, quam, obsecro, facti tui rationem reddere poteris, quando in illo tremendo iudicio interrogaberis? Respondebis fortè iudici: Ideò Catholicam deserui, quia putabam illam plenam idololatriæ, & superstitionibus, & traditionibus humanis; putabam, in ea præsidere Antichristum, putabam, Catholicos niti suis meritis, non tui sanguinis pretio.

Sed quid si tunc deterfa fascinatione diabolica, quæ jam mentem occupat, videas, clarè te deceptum? quid consilij capies? non erit enim amplius pœnitentiæ & resipiscentiæ locus. An fortè ignorantiam allegabis? At hæc non excusabit: quia facile veritatem cognoscere potuisses, si eam diligentiam, quam res postulabat, præstitisses. Nec vumquam tibi defuit iusta ratio dubitandi, quæ te ad hoc stimulare debebat. Sicut ergo Judæos non excusabit, quod per ignorantiam erraverint, quia veritatem cognoscere potuerunt; ita nec te excusabit. Ut enim absque flagitio posses à Catholica recedere, oportebat non solum putare, & ob leves aliquas suspiciones opinari, sed certissimè scire, & omni affectu seposito exploratissimum habere, illa mala Catholicæ Religioni inesse, ita vt nullus amplius in animo relinqueretur scrupulus, nulla iusta, dubitandi ratio.

Tantum verò abest, ut hujusmodi certitudinem de erroribus Ecclesie habueris, ut nulla vel probabilis ratio tibi suppeditari...

Quam enim probabilitate & specie veritatis in animum inducere potuisti, eam Religionem idololatriæ & tantis erroribus esse obnoxiam, quam videbas, à tot sapientia & sanctitate vitæ illustrissimis Viris, tot annorum centurijs, cultam? quam tot miraculis & martyrijs confirmatam? quam toto orbe diffusam? in qua & summa Doctorum concordia, & perpetua successio, & clara cum Apostolis continuatio & connexio? Quomodo fieri potest, ut tot sæculis nemo Doctorum, nemo Sanctorum, hanc idololatriam, has superstitiones & errores, notaverit?

Rursus, quomodo in animum inducere potuisti, eam esse veram Christi religionem, quæ DEUM auctorem & impulsorem omnium scelerum statuit? quæ hominibus arbitrij libertatem eripit? quæ studium bonorum operum è medio tollit? quæ portam latissimam, omnibus sceleribus, non minus quam Atheismus, aperit? quæ subditos legibus & obedientiæ Principum, sub specie libertatis Christianæ, eximit? quæ antiquas & damnatas hæreses plurimas ab Orco revocat? cujus auctores nulla vitæ austeritate, nulla morum sanctimonia commendati, nullis miraculis clari; sed homines voluptatibus carnis addicti, terrenarum rerum cupidi ambitiosi, maledici, seditiosi, apostasia & sacrilegis nuptijs, vel præpostera libidine infames; inconstantia Doctrinæ incredibili?

Denique, si aliqua ex his novitijs Religionibus est vera; ergo concidit per tot sæcula Christi Ecclesia, eversum est Christi regnum, evacuata sunt divinæ promissiones de Ecclesie firmitate; prævaluerunt adversus eam portæ inferorum. Ergo tot sæculis Evangelium frustra prædicatum, frustra creditum, frustra tot gentes à paganismò conversæ, frustra Baptismus & alia Sacramenta administrata, frustra suscepta jejunia & carnis macerationes, frustra obita Martyria, & tot millium sanguis pro Christi confessione effusus. Ergo perierunt omnes Majores nostri; perierunt Sancti Patres, perierunt tot Martyrum, tot Confessorum myriades, tot DEO devotæ animæ, sanctitate, miraculis, prophetiæ spiritu, illustres. Omnes enim, (juxta adversariorum principia) veræ Religionis veræq; justitiæ expertes fuere, omnes idololatriæ addicti, Quod

Quod si hæc falsa, blasphema, & vel cogitatu horrenda sunt; qui fieri potuit ut non adverteres, Religiones illas, ex quibus tam atrocia clarè deducuntur, falsas esse, aut saltem de illis non dubitares? Si dubitasti, cur non dedisti operam cognoscendæ veritati, ex qua tota salus tua suspensa est?

Monuit Dominus, ut attentè nobis caveamus à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Quomodo non venit tibi aliquando in mentem, cogitare & vereri, ne fortè Lutherus, Calvinus, Menno, & similes, ex numero sint illorum, à quibus Dominus cavendum monuit? Hi enim pulchrâ specie verbi DEI & puri Evangelij, oblecti, prodierunt, quasi à DEO missi ad ovium salutem, & interim ipsas oves venenato doctrinæ suæ pabulo perdiderunt. *ex fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos.* Quis verò hic fructus? Seditiones, bella, expilatio & everſio Ecclesiarum ac Monasteriorum, vastatio Urbium, extinctio antiquæ pietatis, omnium licentia scelerum.

Scimus ex Apostolica informatione, multas hæreses novissimis temporibus exorituras, multos Pseudopphetas & Seducutores, Satana obstetricante, prodituros in lucem. Quoties ergo nova aliqua doctrina, Ecclesiæ adversa, emergit, ea nobis ut minimum suspecta, cum suo auctore habenda est.

Omnes igitur, qui extra Catholicam sunt, per DEI bonitatem qua conditi, & Christi sanguinem quo redempti sumus, per æternam hæreditatem quam in cælis præstolamur, & torrentem voluptatis divinæ, quo ibi, qui veritatem & justitiam tenuerint, potabuntur, rogo & obtestor, ut negotium istud quàm maximè cordi habeant; ut perpendant, an solido fundamento nitantur; an securi de sua religione sunt futuri in hora mortis, & cum ante Christi stabunt tribunal, in illo articulo, cum æterna & immutabilis sententia erit excipienda.

Portum tenebitis Domini Academici, nisi decumanis quidam fluctus vos in altum resorbeat, feratq; in scopulos infames naufragijs, sunt qui persuadent animis cetera

cetera bonis, sed lucelli alicujus aut honoris visco implexis, sunt inquam, qui sibi persuadent, dealbata Satanae instrumenta, in sua quemq; fide salutis habere spem, modo communi hominis Christiani nomine censeatur. horum quam sint periculosa & fraudum plena voces, ut leonem ex ungue noscatis, coronidis loco ejusdem Patris Lessij dissertatio Vos facile docebit. Legite, & quod securius saluti Vestrae judicaveritis, statuite.

Declaratio, R. P. Leonardi Lessij, quemlibet non posse in sua fide salvari.

TAmetsi plurimi ante Georgium, Calixtum ejus opinionis fuerunt, quemlibet posse in sua fide salvari, tamen hunc errorem bonus cateroquin senex publicè defendit, scriptisque diversis propugnavit, quem Danhaverus, Hülsemannus, Calovius, Rivetus, &c. Catholicorum argumentis prostrarunt. Nervosè & breviter Moguntinenses Theologi Soc: Jesu, & P. Leonardus Lessius, in Consultationis suæ (opere nunquam satis laudato, quodq; multos millenos devios duxit ad semitam veritatis) præfatione, quænam fides sit capessenda, eneruaverat stupidum hunc errorem. Perplacuit discursus ille plurimis, qui hunc errorem latissimè patere, & plurimorum mentes pervadere animadvertentes, rogarunt Patrem Leonardum, ut fusius rem hanc explicaret, quod & fecit, Consultationique suæ appendicem apposuit, quâ fusius ostendit falsissimum perniciosissimūq; dogma esse, quemlibet in sua religione salvari posse. Nos Studiosis Academicis primo verba præfationis ejus consideranda exhibebimus, tum duas quæstiones, quas appendix consultationi apposita complectitur.

Tu Christe fac ut qui hoc errore excæcati, ad æternam damna-

tionem contendunt, Cælesti fulgore illustrentur, vt videre queant civitatem in monte positam, Ecclesiam aduersus quam inferorum portæ non prævalebunt.

Ex præfatione Consultationis R. P. Leonardi Lessij, qua fides & religio sit capefcenda.

Porro vera Religio est vnica, non multiplex. Una enim tantum est veritas: vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Dominus omnium. Vnde consequens est, primò, omnes Religiones, omnes fides, & fidei confessiones, præter vnus, esse falsas, noxias, pestíferas; auctore diabolo, qui est pater mendacij, introductas.

Secundo, neminem qui hanc vnica non habuerit, salutem æternam consequi posse; & omnes qui hujus expertes fuerint, quantumvis alioquin laudabiliter vixerint, in æternum perituros. Quod enim Apostolus ait de Charitate: si linguis hominum loquar & Angelorum, si noverim myseria omnia, & distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: potiori ratione dicendum est de verâ fide, seu Religione, quæ charitatis & reliquarum virtutum Christianarum est fundamentum.

Tertio, stupidum esse errorem quorundam plebeiorum existimantium satis esse ad salutem, si credas in Christum, & ipsum mortuum esse pro peccatis nostris, quamvis multa alia, v. g. quæ ad Sacramenta, & Sacrificium Ecclesiæ, & similia fidei capita pertinent, non credas. Sic enim omnes pœne sectæ Hæreticorum salvarentur. Omnes enim retinent Christum, (alioquin non essent hæretici, sed apostatæ) & credunt, paucis exceptis, illum esse mortuum pro peccatis nostris. Salvi itaque erunt Montanistæ, & Novatiani, Donatistæ, & Sabelliani, Arriani, Macedoniani, Aëriani, Eutyichiani, Monothelitæ, & similes Ecclesiæ pestes. Cur ergo Ecclesia omnibus sæculis se tam acriter hæresibus opposuit? *Cur Apostolus Hæreticum hominem post vnâ vel alteram correptionem vitari iubet?*

Cur sermonem eorum cavendum, vt carcinoma quoddam? frustra hæc omnia dicuntur & fiunt, si cum hæresi salus obtineri potest. Sanè contra omnium sæculorum consensum est illud figmentum.

Constituamus aliquem, inquit D. Augustinus castum, continentem, non avarum, non Idolis servientem, hospitalitatem indigentibus ministrantem, non cujusquam inimicum, non contentiosum, patientem, quierum, nullum æmulantem, nulli invidentem, sobrium frugalem, sed hæreticum, nulli utique dubium est, propter hoc solum, quod hæreticus est, regnum Dei non possessurum.

Sicut enim teste D. Jacobo, qui in vno mandato delinquit, factus est omnium reus, & totam justitiam amittit, etiamsi reliqua servet, quia legis latorem ipsum, qui totam legem tulit, contemnit: Ita qui vnum fidei caput pertinaciter negat, etiamsi reliqua retineat, factus est reus totius religionis, & totam fidem ac Religionem perdit; quia ejus auctorem contemnit. Eadem enim est prima supremaq; veritas, quæ omnia fidei capita revelavit, & nobis per Ecclesiam sponsam suam (*qua est columna & firmamentum veritatis*) credenda proposuit. Qui ergo vel vnum articulum obstinatè rejecerit, nolens acquiescere Ecclesiæ testimonio, eo ipso primæ veritatis, cujus Ecclesia est præco, interpret, & organum, auctoritatem floccipendere censetur; ac proinde totam fidem divinam, quæ ad salutem est necessaria, amittit.

Nec refert, quòd adhuc aliqua, nimirum primaria fidei capita, se credere putet: quia non credit illa fide divina, quæ soli auctoritati divinæ nobis infallibili modo propositæ innititur: alioquin cetera quoque eodem modo ipsi proposita crederet: sed credit illa fide quadam humana nimirum, quia privato suo Judicio ita judicat credendum, sumens sibi auctoritatem judicandi, & discernendi quæ sint credenda, quæ reiicienda. Itaque vltima ratio credendi est iudicium privatum; ac proinde tota illa fides est humana & inutilis.

Certissimum itaque sit, sicut vera Justitia se extendit ad omnia mandata: ita veram fidem, quæ ad salutem requiritur, se extendere ad omnia divinitus revelata, ita ut illa omnia vel expresse credamus, vel parati simus credere si nobis congruo modo fuerint proposita.

Ex his perspicuum est, quantâ curâ enitendum sit, ut veram fidem & Religionem assequamur, cum hæc sit totius salutis fundamentum, & absque eâ nos certissima maneat damnatio.

Rationes porro cur Catholica fides amplectenda sit omnibus qui à Romana Ecclesia recesserunt, considerandas hoc ordine proponit.

Prima consideratio, ex studio perfectionis ad quod Christi religio inducit.

Secunda consideratio, ex eo quod licentiam peccandi excludat.

Tertia consideratio, ex sanctitate cultorum.

Quarta consideratio, ex miraculis cultorum.

Quinta consideratio, ex Gentium conversione.

Sexta consideratio, ex nomine Catholici, & re ipsa hæc nomine signata.

Septima consideratio, ex successione.

Octava consideratio, ex consensu Doctorum veterum & controversiarum decisione: & quia extrà nulla soliditas.

Nona consideratio ex varijs causis obquas novæ sunt suspectæ,

Prima ratio ex Novitate.

Secunda ratio, ex defectu successionis.

Tertia ratio ex defectu missionis.

Quarta ratio ex defectu miraculorum.

Quinta ratio, ex vita, & morum conditione.

Sexta ratio, ab Erroribus & in constantia doctrinæ.

Septimana ratio, ex Dolo malo, & fraudibus quibus vtuntur.

Octava ratio, ex everfione bonorum operum.

Nona ratio, ex licentia vitæ quam tribuunt.

Decima ratio, ex eo quòd Hærefes antiquas renoveat.

Vndecima ratio, ex defectu regulæ credendi.

Duodecima ratio, ex absurdo, sequitur deniq; consideratio decima, & conclusio totius deliberationis.

Cum itaque P. Lessius in Præfatione suæ Consultationis paucula, breviter contra indifferentissimum annotasset, rogatus fuit, vt rem hanc fusius deducere vellet, quò pestifera illa opinio, quæ multorum animos suafore Calixto insedit, penitus eximatur. Itaque duas insti-

tuit hac de re quæstiones, ostenditq; Argumentis validissimis, nullo omnino fundamento doctrinam Calixti, ejusq; adherentium niti, sed abnegare Christum & ad Alcoranum, & Atheismum viam aperire, has duas quæstiones, quibus P. Lessius totam hanc controversiam complectitur, & Calixtinas fraudes detexit (quod Moguntinenses Theologi Soc: JESU pereruditè quoque præstiterunt) Academicis Helmstetensibus cæterisque Lutheranorum, qui in Daniâ, Holsatiâ, Brunswigiâ, &c. Calixto adherent, ad veritatis agnitionem expendendas proponere placuit.

O Lux beatissima
 Reple cordis intima
 Tuorum Fidelium.

Q U Æ S T I O.

Ergò Prior est.

Utrum satis sit ad salutem credere in Deum, & nemini facere injuriam? hoc est: Utrum quilibet in sua fide salvari possit, modo simul honestè vivere studeat? Altera est, Utrum si fides Christi est necessaria, ipsa per se sufficiat, an verò aliquid aliud credere oporteat?

Prior Quæstio.

Quod ad priorem quæstionem attinet, multi hoc tempore sentiunt, quemlibet in sua fide salvari posse. Ratio qua potissimum moventur, est; quia incredibile videtur omnes Judæos & Turcas, quorum plurimi Deum piè colunt, & cum proximis justitiam servant in æternum perire, solum eo nomine quod in Christum non crediderint; cum in hoc non videantur magnopere culpandi, eò quod ab ineunte ætate aliter instituti non fuerint. Cur enim Deus qui vult omnes salvos fieri, ad eò angustam salutis viam

fecerit? Cur miseros illos; qui juxta suum captum ipsi placere student, nemini injuriam faciunt, justitiam, & probitatem vitæ sectantur, æternis supplicijs, ob ignorantiam rei de qua non satis edocti fuere, addixerit?

Verum hæc sententia, etsi sola ratione naturali consultata, aliquam speciem æqui & veri habere videatur: tamen consideratis ijs quæ nobis divinitus in scripturis sunt revelata, est omnino paradoxa. Si enim quilibet etiam Turca vel Judæus in sua fide salvari potest: ergo frustra Apostoli & Sancti Patres tantopere in fide Christi asserenda laboraverunt: frustra tot Martyres per omnia tormentorum genera suanguinem & vitam pro ea profuderunt.

Poterant enim ab hac doctrina & professione absq; salutis dispendio abstinere, & confessione unius Dei cum Judæis esse contenti. Addo: Ergo frustra Christus factus est homo, frustra tot miracula patravit, ut Messias & Salvator mundi crederetur, frustra crucifixus & mortuus est. Nihil enim horum ad salutem hominum erat necessarium. Satis erat mittere per Orbem prædicatores, qui fidem unius Dei mortalibus persuaderent. Hoc modo rariocinatur Apostolus ad Galatas 2. cum ait: *Si per legem Justitia: ergo gratis Christus mortuus est.* Hoc est, si Justitia potest obtineri per cognitionem unius Dei, & legis observationem, frustra Christus mortuus est: nimirum, quia minime saluti nostræ mors ejus erat necessaria.

Deinde falsa & mendax erit scriptura universa, quæ Christum esse nostrum mediatorem, Redemptorem, & Salvatorem docet; quæ illum nobis propitiatorem per fidem in sanguine ejus proponit; cujus sacrificio nos Deo reconciliari, cujus sanguine à peccatis ablui, cujus fide nos justificari possum confirmat: nec esse aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Hæc omnia vana & falsa erunt, si quilibet in suâ fide salvari potest.

Dicet fortè aliquis, Christum esse quidem nostrum Redemptorem, & omne bonum nobis ab ipso provenire, tamen ejus fidem non esse absolutè necessariam: sufficere enim ut credamus omne bonum nobis à Dei benignitate procedere, nec opus esse, ut cognoscamus quibus medijs illud conferatur.

Verum id & scripturæ divinæ repugnat & rationi scripturæ,
quia

quia hæc apertè docet Christi redemptionem nobis non applicari nisi per ejus fidem; ac proinde omnes qui fide Christi carent, esse expertes justificationis, manere sub peccato, esse filios iræ, esse obnoxios, damnationi. Rationi quia ut efficiamur participes alicujus magni, & insoliti beneficij, omnis ratio postulat, ut agnoscamus beneficium, & benefactorem, eumque ut par est, eum omni gratiarum actione honoremus, hanc enim gratitudinem ipsa conditio beneficij, & benefactoris postulat. Itaq; cùm beneficium redemptionis, sit adeo magnum & exoticum, & ipse qui illud contulit, adeo sublimis & eximius; & modus quo contulit, adeo mirabilis: operæ pretium erat hæc omnia à nobis cognosci, ne prorsus ingrati in tantum benefactorem viveremus, & moreremur; nevé pro amore odium pro benedictione maledicta, pro gratiarum actione blasphemias ei more Judæorum rependeremus. Absurdum itaq; est, eos, qui in Christum non credunt, salutis per Christum nobis paratæ ponere participes. Quod etiam ex eo confirmari potest, quod nemo possit salvus fieri, qui ignorat Deum, & beneficium creationis: alioquin omnes Idolatriæ salvari possent: ergo neque is, qui redemptionis beneficium ignorat, salvari potest, quia beneficium redemptionis est longè majus & mirabilius, magisque ad gloriam Dei & Christi pertinet, & ampliorem à nobis honorem, servitutem, & gratiarum actionem postulat.

Neque satis est generatim cognoscere omnia bona nobis à Deo provenire; hoc enim ad gratitudinem, & honorem ipsi debitum non sufficit: sed oportet cognoscere quale & quantum sit ipsius beneficium, & quo modo, quâ viâ & ratione illud contulerit; nimirum quod à peccato, & æterna morte nos liberaverit, quod ad æternam vitam nobis aditum referarit, idq; stupendo prorsus modo, nimirum nostram sibi naturam copulando, & in eâ mortem pro nobis sustinendo. Hoc enim potissimum ipsius charitatem, misericordiam & justitiam commendat: hoc omne à nobis obsequium, omnem laudem, benedictionem, & gratiarum actionem reposeit: hæc igitur maximè ad salutem cognitu sunt necessaria.

Si quilibet in sua fide salvari potest: ergo ad salutem sufficit ea fides, qua non est donum divinitus infusum, sed humana persuasio, privato judicio

*judicio concepta humana auctoritate subnixæ, fallaci fundamento substru-
Etæ.* Turcæ enim etsi credant unum Deum celi terræque condito-
rem, bonorum & malorum operum remuneratorem : ea tamen fides
non est à spiritu sancto, sed à judicio privato, vel potius à Diabolo.
Non enim ita credunt, quia Deus id per aliquem verum Prophetam
hominibus proposuit ; sed quia Mahometus quem Dei Prophetam,
& organum fuisse in docendis mortalibus putant, in suo Alcorano
ita tradidit. Itaque etsi illud quod credunt verum esset: tamen quia
fundamentum, & tota ratio credendi falsa, & pestilens, nimirum,
Mahometum esse Dei Prophetam ; fides ipsa, quæ credunt fallax est,
& spectato fundamento quo nititur, noxia salutis, in omnes pestife-
ros illius sectæ errores mentem inclinans, & necessario impellens.
Quomodo ergo dici potest illam fidem sufficere ipsis ad salutem, aut
eos ex hac fide salvari posse ? quomodo id quod est incertum, fallax,
pestiferum, potest statui fundamentum Justitiæ coram Deo, & salutis
consequendæ ?

Pari modo Judæi, etsi eadem & plura credant veritati, con-
sentanea, tamen fides, qua illa credunt, fallax est, & à spiritu Dei a-
liena. Tota enim ratio credendi est, quia illorum Rabbinæ & Syna-
gogæ Doctores ita scripturas interpretantur, hi enim sunt illis cre-
dendi regula, sive (quod idem valet) scriptura sacra, quatenus ho-
rum interpretationi subest. Atqui tota hæc ratio credendi fallax
est, nec minùs noxia quam illa Turcarum. Non enim minus noxium
est credere Rabbinos ad interpretationem scripturarum esse prædi-
tos spiritui Dei, quam Mahometum esse Prophetam Dei : neque ad
minora absurda ex vi illius principij impelluntur. quomodo ergo
talis fides potest esse salutis fundamentum ?

Deniq; hæc sententia nullum facit discrimen inter Turcismum,
Judaismum, & Christianismum, nisi in quibusdam adiaphoris, & mi-
nimè ad salutem necessarijs ; ita ut perinde sit in qua religione vi-
vas, cum in omnibus æquè salutem possis adipisci, quod nihil est a-
liud quàm viam aperire Alcorano, & Mahometum æquare Christo,
vel potius atheismum non obscurè inducere. Probare enim omnem
Religionem, est tollere omnem religionem, & nullam censere necessa-
riam : cum vera religio non nisi unica esse possit,

Ratio fundamentalis, quâ hæc sententia potissimum nititur, nihil est momenti. Primò enim, si non est incredibile, Deum per aliquot annorum millia totum mundum (exceptâ gente Judaicâ, orbis exiguâ portiunculâ) reliquisse sub Idololatria, & permisisse rueri in exitium, etsi inter eos tot essent præclara ingenia, tot numerum, & humanæ Justitiæ probitatisq; serij cultores; non debet etiam incredibile videri, si Turcas & Judæos modò perire dicamus.

Secundò hoc tempore minùs esse excusabiles Turcas, & Judæos, quòd non credant in Christum, quàm olim fuerint Ethnici, non agnoscentes unum Deum cæli & terræ Conditorum. Ratio est, quia cum totus pœnè mundus esset sub Idololatria, æstus communis consuetudinis abripiēbat omnes, neq; privatis hominibus offerebat se, ratio magnopere de sua religione dubitandi; neque si oborta fuisset aliqua dubitatio, suppetebat facilis modus cognoscendæ veritatis. At modò postquam fides & Religio Christi pervasit orbem, & ubiq; terrarum reperiuntur Christiani, fieri non potest, quin multiplex se offerat Judæis, & Turcis de sua religione dubitandi occasio. Itaq; tenentur rem discutere & conferre cum Christianis, quos ad manum habent; quod si non faciant, sed mentem ab hujusmodi cogitationibus odio religionis Christianæ, vel alia ex causâ avertant, se ipsos reddunt coram Deo inexcusabiles. Tanti enim momenti est negotium religionis, & salutis, ut omnibus alijs rebus anteponi, & summo studio, cum justa ratio dubitandi ingeritur, debeat perverstigari, etiam si in remotas regiones esset abeundum.

Postremò si aliqui sunt, qui nihil de Christi Religione audierunt, vel quibus nihil quo meritò ad ulteriorem inquisitionem commoveantur, in mentem incidit, hi non damnabuntur ob peccatum infidelitatis, quòd nimirum in Christum non crediderint; sed propter alia contra legem naturæ commissa, quæ ipsi divinâ ope vitare poterant. Non enim Deus illos ita suâ providentiâ, & auxilio destituit, quin possint vitare peccata quæ faciunt, si prout valent & debent, divinis inspirationibus cooperari, & rem tantam cordi habere velint. Itaque nemo Deo suam damnationem imputare poterit, quamvis arcta sit via salutis, sed sibi, suæ inquam negligentia & malignitati, quâ divinas inspirationes neglexit, salubria monita contempserit,

psit, & sciens ac volens, conscientia propria reclamante, in peccatum, & exitium se præcipitavit.

Altera Quæstio.

Altera quæstio est, utrum sufficiat ad salutem, credere in Christum, eumq; pro peccatis nostris esse mortuum, etiamsi multa alia nolimus credere.

Plurimi præsertim ex plebe, id satis esse existimant, modò ea quæ de Deo & Christo habentur in Symbolo Apostolorum credantur; cetera omnia putant adiaphora, & quemlibet de illis posse credere, prout ei bona fide videtur credendum. Symbolum autem à quovis credi volunt juxta sensum, qui cuilibet videtur optimus. Itaque statuunt, quemlibet qui Christum confitetur, in suâ fide salvari posse, sive sit Papista, sive Lutherista, sive Calvinista, sive Anabaptista, sive alterius Sectæ. Omnes enim hi tenent idem caput, quod est Christus, omnes eidem innituntur fundamento, quod est Christus Iesus. Itaq; à salute excidere non possunt, etiamsi in alijs dissentiant. Hinc aliqui potentes, qui istis novis religionibus vtuntur ad stabilendum, & amplificandum suum Imperium, plurimum laborant, ut ex Lutheranis & Calvinistis unam Ecclesiam conficiant, & persuadere nituntur, inter eos non esse discrimen, nisi in nescio quibus apicibus & rebus adiaphoris.

Verùm hæc sententia multa secum trahit incommoda.

Primò quia salvat pœnè omnes antiquos hæreticos. Plerique enim confitentur Christum, & suo sensu tenent symbolum. Salvari itaque poterant in sua hæresi. *Arriani, qui filium Patri negabant consubstantialem: Macedoniani, qui Spiritum Sanctum filio faciebant minorem: Nestoriani, qui duas in Christo statuebant personas: Eutychemiani qui carnem Christi in divinitatem conversam asseriebant: Apollinaristæ qui Verbum divinum loco anima rationalis carni unitum in Christo ponebant. Monothelita qui unicam tantum voluntatem, & operationem in Christo statuebant: Pelagiani qui peccatum originale negabant, & hominem viribus naturæ posse gratiam Dei & salutem promereri docebant: Donatistæ qui Christi Ecclesiam ubique perivisse, præterquam in parte Donati*

nati affirmabant: Novatiani, qui lapsis poenitentiam negabant: Montanista, qui Montianum Paracletum putabant. Hi omnes juxta hanc sententiam singuli in sua fide ac Hæresi salvati sunt, quia in Christum crediderunt, & non minùs Symbolum Apostolicum, quàm modò Lutherani & Calvinistæ, tenuerunt. At quid absurdius magisq; paradoxum in Ecclesia dici potest? si enim cum hujusmodi fide salus obtineri potest, cur tot concilia tanto labore & sumptu convocatis anathemate fuere damnata? Cur Sancti Patres tantopere in illis extirpandis laborarunt? Cur Catholici hæreticorum illorum consuetudinem, & convictum tantopere exhorruerunt? Cur plurimi exilia, mortem & omnia tormentorum genera perferre maluerunt, quàm alicui ex illis Hæresibus subscribere? sanè hæc omnia frustra, stultè, & injuriosè facta sunt, si in illis sectis salus obtineri poterat, quod cum nemo sapiens dicere possit, fatendum est, Hæreses illas esse animorum pestes, nec posse vllò modo salutem cum illis consistere.

Secundò, quia condemnat erroris totam antiquitatem, quæ semper existimavit, Hæreticum non posse salutem consequi, & idcirco tam acriter se illis opposuit, tantoque studio semper eas confutavit.

Tertiò. Quia condemnat ipsum Apostolum, qui ad Titum 3. sic præcipit: Hæreticum hominem post vnam & secundam correctionem devota, sciens quia subversus est, qui hujusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.

Cur jubet illum vitari, si error ejus non officit saluti? Cur dicit illum subversum, & condemnatum? Idem 2. ad Timoth. 2. sermo eorum vt cancer serpit. Sicut ergo cancer est letalis corpori humano, nisi excindatur, ita hæreticus catui fidelium.

Dicet fortè aliquis, neminem esse censendum hæreticum, nisi qui rejicit Christum, aut negat aliquid pertinens ad Symbolum. Verum hoc prorsus imperitè, & absurdè dicitur. Sic enim non esset hæreticus, qui vetus & novum Testamentum è medio tolleret, diceretq; illa esse conficta, vel humano spiritu conscripta, multisq; erroribus, vt scripta profanorum auctorum, obnoxia. Non esset hæreti-

cus, qui negaret infernum, vel pœnarum æternitatē, qui dæmones omnes aliquādo poneret salvandos, cum nihil hisce de rebus in Symbolo Apostolorum habeatur. Non esset Hæreticus, qui vetaret nubere, qui nuptias diceret esse à Diabolo; qui escas nonnullas sua natura statueret immundas: quos tamen inter hæreticos censet Apostolus, 1. ad Timoth. 4. Non esset hæreticus, qui in Christo duplicem assereret personam: quem tamen hæreticum esse, & Antichristum ait S. Joannes Epist. 1. cap. 4. Non esset hæreticus, qui negaret Baptismum, & omnia Sacramenta. Denique nullus eorum, quos supra commemoravimus, inter hæreticos esset numerandus: quod toti antiquitati, & omnibus Doctoribus, qui jam à decem vel duodecim Sæculis extiterunt, repugnat.

Quartò, hæc sententia omnes hæreses & sectas supra dictas fidei Orthodoxæ exæquat, statuendo non minus per illas, quàm per hanc salutem obtineri posse. Itaque Orthodoxa religio nihil erit melior Arrianismo, Pelagianismo, Nestorianismo, Eutychianismo, alijsque falsis religionibus: quod per se est absurdissimum, & nihil est aliud quàm inducere merum atheismum. Statuere enim omnes religiones esse bonas, nihilque ad negotium salutis interesse, quam profiteris, est nullam curare Religionem. *Si enim est aliqua Religio, hæc non potest esse nisi unica, sicut unica est veritas, unica Iustitia, unica fides, unica beatitudo, unus Deus & Dominus omnium, unus Mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS.*

Quintò ridiculum est dicere, sat esse, credere Symbolum juxta suum sensum, cum vna tantum sit veritas, quæsi non attingitur, jam falsum creditur. At fides falsa quid potest juvare ad salutem? Itaq; perinde est, sive tali modo Symbolum credas, sive nullo modo credas. Poterit ergo quis salvus esse, etiam si multos articulos absolutè non credat. Idem dixerim de Scripturis. Si enim sufficit credere Scripturis suo sensu intellectis. Cum hic sensus sæpè possit esse erroneus etiam si nullo modo illis fidem adhibeas. Non enim fides falsa magis potest esse necessaria ad salutē, quam fides nulla, qua nimirum quis absolutè non credit.

Si dicas, Symbolum debere credi in vero sensu, jam damnas sectas hujus temporis, quarum nulla est, quæ omnes Symboli articulos credat

credat eodem sensu, quo Catholici, aut in Symboli explicatione non differat ab alia. Vnde cum non sit nisi vnica veritas, necesse est omnes Religiones hujus temporis, præter vnam, à veritate aberrare, ac proinde ad salutem non sufficere.

Quòd autem multum discrepent in Symboli sensu, patet. Illum enim articulum, *Et in IESUM Christum filium ejus unicum*: aliter explicant Arriani, Tricheitæ, & multi Calvinistæ, qui *Filium patre statuunt minorem*: aliter Lutherani & Catholici, qui *equalem, & consubstantialem*: Articulum de descensu Christi ad Inferos aliter intelligunt Calvinistæ, qui putant ibi significari Christum sustinuisse tormenta damnatorum, dubitasse de sua salute, & timuisse ne ab aeterna morte penitus absorberetur. Aliter Catholici & Lutherani, qui talem expositionem non sensum articuli Symboli, sed blasphemiam dicunt esse Calvini. Articulum de ascensu Christi ad Cælos, &c. aliter intelligunt Lutherani Vbiquistæ, qui Christi Corpus ponunt vbique & omnibus locis esse præsens, sicut vbique præsens est ejus divinitas: aliter Calvinistæ & Catholici, qui non dubitant per hujusmodi expositionem totum pœne Symbolum everti, Christique incarnationem, nativitatem, passionem, mortem ascensum ad cælos, adventum ad iudicium e medio tolli. Articulum de judicandis vivis & mortuis, aliter exponunt Catholici, qui dicunt Deum ita iudicaturum, vt opera bona remuneret cælo, opera prava inferno: aliter Calvinistæ & Lutherani, qui operibus bonis omnem mercedem denegant, & solius fidei specialis in iudicio divino habitum iri rationem censent. Articulum de Spiritu Sancto, aliter intelligunt Catholici, & Lutherani, aliter Arriani, & multi Calvinistæ.

Articulum de Ecclesia, Lutherani & Calvinistæ intelligunt de congregatione invisibili prædestinatorum: Catholici de congregatione visibili Catholicorum, in qua multi sunt prædestinati, multi reprobis. Articulum de Communione Sanctorum ita extenuant Lutherani & Calvinistæ, vt omnem pœne communionem, quæ à Catholicis ponitur, tollant. Articulum de remissione peccatorum, explicant de sola non imputatione, non agnoscentes internam vllam renovationem per justiciam in hærentem & dona infusa: quo modo Catholici peccata remitti statuunt. Ex his patet quanta sit discre-

pantia in ipsius Symboli intellectu. Itaque cum non sit nisi vna veritas, & hanc ostenderit in Consultatione nostra esse apud Catholicos, necesse est reliquas sectas falsam Symboli doctrinam & fidem tenere. Si ergo vera requiritur Symboli fides, fieri nequit, ut quilibet in sua fide salvari possit. Si falsa sufficit quomodo fides falsa potest, juvare ad salutem?

Sextò, Scriptura divina non est minoris auctoritatis, quàm Symbolum Apostolicum; nec minorem Deo injuriam irrogat, qui aliquid in Scripturis clarè expressum negat, quàm is qui aliquem Symboli articulum rejicit. Ergo nulla est ratio, cur fides restringatur ad Symbolum, & in reliquis sentiendi sit libertas, cum non minùs tenemur credere omnia, quæ sunt in scripturis, quàm quæ in Symbolo. Etsi enim non obligemur omnia, quæ in scripturis continentur distinctè nosse, tenemur tamen omnia generatim credere: adeò ut sine scelere hæreseos non possimus aliquid eorum ut falsum vel ambiguum rejicere. Quo ergo colore, qua probabili specie dici potest, non referre quomodo in cæteris credas, modò Christum & Symbolum retineas? Cur symbolum potiùs quam vniversa scriptura teneri debet, cum ejus non sit major quam scripturæ auctoritas? Nimis profectò est rudis & impolita hæc phantasia omni fundamento destituta.

Septimò, in omni fide non solùm spectandum est quid credatur, sed etiam in primis, quo fundamento, credatur, quæve sit tota sic credendi ratio. Ex hac enim tota fidei natura, & conditio pendet. Nam qualis est ipsa credendi ratio, quam fidei fundamentum vocamus, talis est ipsa fides. Si illa est certa, & falli nescia, fides quoque certa est, & infallibilis: si illa est fallax, fides etiam incerta erit, & errori obnoxia. Exempli causa: Turca credit esse vnum Deum omnium conditorem, quia ita docet Alcoranus, quem spiritu divino conscriptum putat, fides ejus etsi verum credat, falso tamen, & fallaci nititur fundamento, cujus vi ad multa falsa & blasphema credenda impellitur, & non esse plures personas in Divinitate, Christum non esse Deum, Christum esse minorem Mahometo, tenendam esse circumcisionem, & similia. Itaque illa fides ex vi sui fundamenti fallax est & noxia. Idem accidit omnibus hæreticis.

Quo posito sic urgo.

Fides quæ fallaci nititur fundamento, etsi aliqua vera credat, tamen non potest esse sufficiens ad salutem: atqui fides omnium sectarum hujus temporis nititur fallaci fundamento: ergo non potest sufficere ad salutem. Propositio videtur per se nota. Quomodo enim id quod fallax & mendax est, potest esse basis & fundamentum salutis æternæ? Quomodo vera religio, qua Deo placemus, potest esse fundata in fallaci fide? Sane id non minus à ratione alienum, quam si dixeris veritatem niti mendacio, sapientiam errore, virtutem imprudentia.

Restat probanda assumptio. Quod ergo omnes Sectæ fallaci nitantur fundamento, sic ostendo. Vel enim credunt sua dogmata propter auctoritatem suorum Apostolorum (Lutheri, inquam, Calvinii, Melancthonis, Zwinglij &c.) quos divino spiritu præditos existimant: vel quia singuli proprio judicio ea in scripturis contineri judicant: vel deniq; quia spiritus privatus interiùs testatur ea esse vera, vel hanc esse scripturæ divinæ mentem: quidquid enim Sectæ hujus temporis credunt, ob aliquid horum trium credunt, & unum horum trium, fundamentum suæ fidei, & credendi rationem, statuunt. Atqui hæc fundamenta, & hæc rationes credendi sunt omnino fallaces.

Quod enim primum fundamentum, nimirum auctoritas Lutheri, Calvinii, & aliorum, qui novas istas religiones procuderunt, fallax sit, patet: quia experientia constat potuisse illos falli, & re ipsa in plurimis lapsos esse. Nam multa revocarunt, multa correxerunt, in multis ipsi sibi contradixerunt, ut in consultatione de religione capessenda, Consideratione IX. ratione vi. abundè ostensum est. Hinc pauci modò sunt qui illorum auctoritate niti velint; quòd homines, ac proinde errori obnoxios fuisse dicant. Unde & illorum Sectatores pro libito ab illis recedunt, ubi quid melius se invenisse putant. Auctoritas itaq; illorum fallax est etiam discipulorum, & Sectatorum judicio.

Nec minus fallax est alterum, nempe judicium privatum, quo scripturas exponunt. Multa enim falsa judicio privato videntur vera: & quæ antea videbantur vera, postea judicantur falsa. hinc tanta multorum in credendo variatio, tanta fluctuatio: nempe quia
imbe.

imbecillum est humanum iudicium, præsertim in mysterijs fidei, & scripturarum intellectu, quæ omnem humanæ rationis captum superant.

Respondent plerique se in credendo non niti suo iudicio, sed scripturis divinis, quæ non possunt errare. Qua in re quam miserè decipiantur, vel ex eo constat, quòd omnes pœnè sectæ affirmant se niti scripturis, cùm tamen in plurimis inter se dissentiant, & contraria doceant: quod fieri nulla ratione posset, si non suo privato iudicio, sed legitimo scripturæ intellectu niterentur.

Scriptura enim nusquam sibi est contraria, nusquam à se dissentit. Itaque quod ipsi tantoperè dissentiant, ex eo provenit, quòd suo privato iudicio scripturæ sensum fabricent, qui pro diversitate iudicij ac ingenij cuiusq; est diversus. Nituntur ergo scriptura, non ut subest interpretasioni Ecclesiæ Catholicæ & SS. Patrum; sed ut subest interpretationi iudicij privati. Nam vis scripturæ non in verbis nudis, sed in sensu & interpretatione consistit. Hunc autem sensum iudicium privatum excogitat, & verbis scripturæ tamquam corpori vitam inserit. Itaq; totum fundamentum est iudicium privatum: quod quam fallax sit, dissensiones tot Sectarum aperte demonstrant. Perinde enim est sive dicas te niti scriptura, ut subest interpretationi proprij iudicij, sive privato iudicio.

Deniq; tertium credendi fundamentum, quo plurimi hoc tempore nituntur, maximè omnium fallax est & illusorium. Cujus signum, quòd inter Anabaptistas, qui præ ceteris instinctu spiritus ducuntur, maxima sectarum est varietas & dissensio fidoj. Quod fieri non posset, nisi spiritus, quo reguntur & nituntur fallax esset & varius. Idem cernitur inter Calvinistas & Lutheranos, & inter diversas sive Lutheranorum sive Calvinistarum sectas, & factiones. Singulis enim sua sententia certa est, & evidens testimonio privati spiritus, qui singulos interius docet, singulis testimonium veritatis perhibet. Ex quibus manifestum est hunc spiritum non esse Spiritum Sanctum, Spiritum veritatis, qui contraria docere & sibi ipsi adversari non potest: sed spiritum nequam, spiritum erroris, qui mendax est ab initio, & pater mendacij, qui operatur in filijs incredulitatis, de quo Apostolus. Quia charitatem veritatis non receperunt, id-

circò

circò mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio. & alibi in novissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum. Omnis enim hæresis doctrina dæmoniorum est. Et S. Joannes: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex DEO sunt: nam multi pseudopropheta exierunt in mundum.

Hic igitur spiritus est, qui in cordibus hæreticorum dominatur, cujus testimonium, & operationem interiùs inferi sentiunt, & putant esse operationem spiritus sancti, qui eorum phantasiam, & mentem ita fascinat, & pervertit, ut lucem putent esse tenebras, & tenebras lucem. Ut clarissimam fidei Catholicæ veritatem putent esse errorem, & tetros errores perspicuam veritatem. Et sanè nisi prorsus fascinati essent, & exæcati facile possent advertere, spiritum illum quem interiùs sentiunt, non esse spiritum DEI. Vel saltem de eo dubitare inciperent, cum omnes sectæ, inter quas tanta dogmatum maximorum dissensio, hujus spiritus testimoniù ægrè sentiant, jactent, & sequantur, eoq; in asserendis dogmatibus maximè repugnantibus nitantur. Sed justo DEI judicio id accidit. Sicut enim Judæi qui Christum recipere noluerunt, permisi sunt diabolo exæcandi, ut apertè colligitur ex Apostolo 2. ad Tess. 2. ita hæretici, quia Catholicam fidem deseruerunt (quæ non est minor culpa quàm Judæorum) eidem permisi sunt, ut mentes eorum tamquam fascino distineat, & in omne genus errorum impellat.

Quod si quis attentè consideret, advertat etiam potentiora in nostris hæreticis, quam in Judæis, vel Mahumetanis esse diabolicam operationem mentisq; fascinationem, idq; duplici ratione. Primò: Quia Judæi in eadem fide conveniunt, nec apud illos sunt varia sectæ; apud Mahometanos verò tantum sunt duæ, eæq; non adeò distrepantes. At apud nostri temporis Hæreticos sunt sectæ plurimæ, aliæ & alij novorum accessione dogmatum propagatæ, quæ se mutuo hæreseos damnant, & hæc omnes ex una intra 90. annos enatæ, quod est indicium, diabolum mirificè interiùs istorum hominum possidere mentes, turbare phantasias, pervertere imaginationes & judicia, ut nusquam possint consistere nusquam acquiescere.

Secundò: quia plebeij homines apud Judæos, & Turcas non

nituntur suo iudicio, neque spiritus privati instinctu, & testimonio; sed iudicio suorum Doctorum (vel quod idem est) scriptura sua, quatenus expositioni Doctorum suæ Religionis subest: Itaque habent aliquam regulam credendi, & fundamentum suæ fidei, ratione naturali quodammodo consentaneum, nimirum majorum suorum consensum, seu scripturam suæ religionis majorum sensu expositam. At plerique Hæretici hujus temporis non curant amplius majores & Apostolos, à quibus hoc novum Evangelium primo acceperunt; sed eos tamquam homines errori obnoxios deserunt, & toti nituntur proprio iudicio, vel testimonio spiritus privati, sive (quod prorsus idem est) scripturam divinam juxta sensum proprii iudicii vel spiritus privati intellectam. Quod est evidens signum satanam in eis efficaciter operari, & eorum mentes infatuare; ut non solum quisque sibi novas hæreses vel opiniones fingat, sed etiam in se ipso, suoque sensu, interno & gustu, fidei suæ fundamentum, & credendi regulam statuat: quisque enim se doctum à Domino, & spiritus magisterio instructum putat (etiam mulierculæ & puellæ) ac proinde ab omni errore immunem. Patres omnes homines fuisse errori obnoxios. Idem de suis Apostolis, & ministris censent. At quæ major fascinatio, & illusio possit esse? Hinc fit ut nulla & rara dogmata habeant, nullum corpus doctrinæ & religionis statuunt, sed in certum vagentur, pro ut spiritus ille privatus eos impellit: nec possit cum illis de plerisque dogmatibus ulla disputatio institui, cum nulli sententiæ sint additi, & ipsi per imperitiam majorum suorum doctrinam nesciant. Verum de hoc spiritu vertiginis plura diximus in Consult. Considerat. 9. Ratione II.

Ex his manifestè concluditur, omne fundamentum credendi, quo sectæ hujus temporis nituntur, fallax esse ac deceptorium, & subinde fidem earum, quæ illi innixa est, inutilem esse ad salutem.

Octavo. si in sua fide, singuli qui Christum agnoscunt, salvi esse possunt, cur tanta inter Religiones dissensio? Cur se mutuo hæreseos damnant, & anathemate perstringunt. Cur Lutherani Calvinistas pro fratribus agnoscere recusant, & eos impios ac blasphemos esse publice pro concione clamant & scriptis libris affirmant? Cur pari modo procures Calvinistarum, in quibus Theodorus Beza, pater omnium & veluti Papa post Calvinum,

vinum, tractant Lutheranos, Cur Anabaptista solos suos, fideles & Christianos vocant, reliquos pro in fidelibus habent. Ex quibus patet hoc novum commentum, non solum doctrina Catholicæ, sed etiam omnibus sectis, quæ aliquem Religionis, & pietatis zelum præ se ferunt adversari & ad solos Atheistas relegandum.

Nono, ut quis possit salvus fieri, non sufficit vnius, duorum vel trium mandatorum observatio, sed necesse est servare omnia juxta illud Domini Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Ut si quis sit adulter aut fur, etiamsi reliqua mandata servet tamen salvus esse non poterit, ut passim scriptura docet. Ergo pari modo non sufficit ad salutem, duos tres vel quatuor articulos credere; sed necesse est omnia credere quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit. Non enim minus fides, quam obedientia mandatorum Decalogi ad salutem est necessaria, nec minus fides debet esse perfecta ac integra, quam obedientia & observatio Decalogi, sicut ergo obedientia se debet extendere ad omnia mandata: ita fides se debet extendere ad omnia revelata. Confirmatur quia teste S. Jacobo, cap. 2. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non Machaberis dixit & non occides. q. d. Factus est omnium reus, & punietur quasi totius legis violator, qui contempsit ipsum legislatorem, qui totius legis est auctor.* Ergo simili modo, qui vnum articulum negaverit, etiamsi reliqua omnia credat, factus est reus totius fidei & religionis, nimirum quia contemnit primam veritatem Deum, qui non minus istum quam alios revelavit. Contemnit Ecclesiam Catholicam Christi Sponsam (quæ est Columna & firmamentum veritatis) per quam nobis non minus istum quam alios proposuit. Et hæc est ratio, cur non minus sit hæreticus, qui vnum fidei dogma pertinaciter negat, quam qui centum; Quia hoc ipso quo vel vnum negat, contemnit Primam Veritatem DEUM, qui illud revelavit, contemnit veritatem Ecclesiæ, quæ illud proposuit: facit Ecclesiam subjectam errori & mendacem. Unde etiam in ceteris omnibus incertus redditur, & totam fidem Divinam perdit. Sublato enim fidei divinæ fundamento, totam fidem ruere necesse est, & solam opinionem vel fidem humanam errori obnoxiam, qua reliqua credat remanere,

Decimò & postremò, hæc sententia est maximè periculosa in praxi. Facit enim vt homo non curet quam religionem teneat, quid credat, vel non credat. Itaque non inquit veritatem; & tam facile ac securè suscipit falsa quam vera. Omnes tamen non solum Catholici, sed etiam nobiliores sectæ & quicumque aliqua doctrinæ vel sapientiæ laude sunt celebres, pro certo statuunt, absque vera religione & vera fide non posse salutem obtineri, & quotquot vera religione caruerint, in æternum perituros. Itaque sectatores huius sententiæ damnantur ab omnibus, & ipsi soli pollicentur, sibi salutem nullo auctore, nullo scripturæ testimonio, nulla ratione suffulti, sola cerebri sui vana & stolidi imaginatione confisi. Audiant igitur ex S. Fulgentio, quid semper tenuerit antiquitas, quid omnibus sæculis docuerit Ecclesia. Sic igitur, communes fidei regulas tradens scribit lib. de Fide ad Petrum Diaconum cap. 38. Firmissimè tene, & nullatenus debites non solum omnes paganos, sed etiam omnes Judæos, Hæreticos, atque Schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo & angelis ejus, & cap. 39.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum, sive Schismaticum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Baptistatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumq; Eleemosynas facerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse saluari. Omni enim homini qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neque Baptismus, neque eleemosyna quamlibet copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo hæretica vel Schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem.

Hæc semper fuit Ecclesiæ fides, & omnium patrum indubitata doctrina; quam omnes qui extra Ecclesiam versantur, vtinam accuratè perpenderent? viderent profectò quam periculoso in statu versentur.

Tu Christe

Lux Mundi.

Mentibus eorum affulge.

ANI.

ANIMADVERSIÖ,

Qui

Et quomodo Controversiarum Scriptores legendi sint.

Legistis superiora, DD. Academici, quæ etsi abijciendis erroribus sola sufficiant, ad omnem tamen, superfluum licet, temeritatis metum in re tanta abstergendum, alios pro veritate plenius adhuc cognoscendâ, authores legere fortasse statuistis, qua in re hoc ante omnia vos reflexè velim advertere plerosq; Lutheranorum, & Calvinistarum Scriptores dum Controversiam aliquam attingunt, Antiquitati toti sese oponere, statum quæstionis vel non syncere proponere, vel plane immutare, denique mendacijs calumnijsq; rem agere. videatur in primis Kemnitius cui Bellarminus larvam detraxit, & mendacia ob oculos posuit.

Similis farina est Jacobus Laurentij, Causabonus, Andreas Rivetus, Ludovicus & Jacobus Capelli, Voëtius Mendacijs famosus, Maresius, Horneus, pluresq; alij protestantes, quibus adde Blondellum, Salmasium, qui mentiendi artem, comprimis exercuerunt in ijs, quæ de primatu Pontificis scripserunt, & quæcunque contra Turrianum defenforem solidum decretalium Salmasius emisit in lucem.

Spestat etiam huc Joannes Dallæus de usu SS. Patrum de Pseudepigraphis Apostolicis. Item Christophorus Justellus in Collectionibus Canonum. Hisce junge Bullingerum, Pelargum, Perkinsium, Joannem Juellum, Wittakerum, Sadeelem, Franciscum Junium, Petrum Ravanellum, Daniele Chamierum, Petrum Molinæum, cujus mendacia, P. Forrerus detexit: Langium Oedenburgensium rabulam, cujus decumana mendacia, crimina falsi D. Schiller & Joannes Senertus Terentianus tam clare ob oculos posuit, ut mirum sit mendax caput audere oculos in altum attolere, & frontem honesto viro exhibere, sed effroni nullum crimen grave est. Si veritatis amantes estis, DD, Academici & imposturas eorum quos jam nominavi agno-

scere placet, Catholicorum scripta revoluite, maxime eorum qui fraudes A catholicorum detexerunt, quales præ alijs Jacobus Sirmondus, Petavius, Albaspinæus, Petrus de Marca, Simon Vigorius, Eudæmon Joannes; Cardinales Baronius, Bellarminus, Perronius, Richelius; & Martinus Becanus, Posevinus, Sixtus Senensis Pamelius, Sanctesius, Driedo, Espensæus, Fronto-Ducæus, Binius, Gretzerus, Claudius, Clemens, Raynaudus, Spondanus, &c. post Canum perlegite si placet, Horrantium, Lindanum, Turrianum, Eisengrinium, Aubertum Miræum, Serarium, Alanum, Copum, Antonium Augustinum, Joannem Molanum, Bovium, Jacobi Gaulteri Chronographica, &c. Corderium, Delrio in vindicijs Areopagiticis, ex græcis vero Leonem Allatium, Caryophilum, Arcudium, caterosq; Orientales, vel vnum inspicite Abrahamum Ecchellensem Maronitam libro in primis recente de scriptis Ecclesiasticis orientalium. Ex ipsis A catholicis consulantur quoque Vedelius, Vsserius, & Isaac Vossius, editionibus nuperis Ignatianarum, Epistolarum. Adde Centuriatores Magdeburgenses eorundemq; breuiatorem Lucam Osiandrum, Flacium Illyricum, atq; Mornæum Plessiacum, Joannis Gerardi Parrologiam, Abrahami Sculteti Medullam Patrum, Danæum in Lombardum quos fructuose per voluere licebit. Non male etiam sibi consulent DD. Academici si accurate circumspiciant, quam sectarij ipsimet in varias sibiq; mutuo inimicissimas partes dissilierint, quinam inter se quam maximè decertent, & vter alterum pro vnitatē Catholica veritatis Orthodoxæ felicius adoriatur atque expugnet. Hic ante omnia expediet, vt legant ex nostratibus, qui testimonia & Confessiones ipsorummet Hæreticorum ac Hæresiarcharum in medium producant, cuiusmodi præ multis censeo esse Brerleum, Smythæum, Veronium, Walemburgios, Pagninum, Gaudentium. Huiusmodi Auctores lectitando, omne studium vestrum in synopsis quasi contrahetis, quum illi hostium assertionibus evincant, quid antiqui de hoc vel illo, hodie controverso, fidei capite senserint tradiderintque. Tum & istud observatu comprimis, est dignissimum; conducere plurimum, quando evoluuntur adversariorum scripta advertere, quod contra sese mutuo pugnent argumentis & rationibus, quas non nisi à Catholicis habent; exempli gratia, cum vtuntur

Catho.


Catholicorum argumentis, contra Syncretismum, Danhaveri Hulsemanni, Calovij, Riveti, &c. Contra abusum Antiquitatis Ecclesiasticæ; Socini, contra Volanum: Contra abusum humanæ ratiocinationis; Musæi contra Vedelij; Rationale: Kesleri, Jacobi Martini, contra abusum Principiorum Catholicorum pro cœtibus erraticis. Anabaptistarum adversus Calvinistas in colloquio Francothalensi. Contra Lutheranorum errores in univèrsum Calvinianos & præcipuè Hospinianum videbis: Contra Calvinistas Schluselburgium, Hutterum, &c. scripturas veteris Testamenti Hebræicas esse corruptas, efficacissimis pro Catholicâ sententiâ rationibus ostendit Calvinianus Ludovicus Capellus. Discrimen ex divino instituto inter Episcopum & Presbyterum, huncq; non ordinari legitime nisi ab illo posse, doctissime contra puritanos, & omnes ceteras, Hierarchiam Ecclesiasticam, & successionem personalem, ac ordinationum necessitatem, perosas sectas, defendunt Pseudoepiscopi Anglicani, & qui ab ijs dependent, inter quos est Hammondus. Præsentiam Carnis Christi, in symbolis seu elementis Eucharisticis, satis probant Lutherani, nihil tamen sibi evincentes. Communionem sub una, purgatorium, Cultum sanctorum, reliquiarum, imaginum, traditiones, sacrificium &c. pro nobis contra protestâtes demonstrant Græci ipsimet Schismatici, & omnes orientales reliqui; in univèrsis illis punctis religionis unanimes nobiscum, ob quæ à nobis dissidere pergunt Hæretici in occidentali hæc, seu latina Ecclesia; hiq; in quibus à nobis dissentunt, in iisdem & dissentire à Schismaticis orientis, paucissimis exceptis, deprehenduntur. Implorationem Sanctorum, pro nobis ut orent, nullatenus esse idololatriam, profiteretur, dissertatione de animabus separatis Georgius Calixtus, uti & sine primatu quin etiam suprematu, Hieropolitico unius & singularis imperij consistere Ecclesiam non posse, quod & Melancthon olim, falsus est, & omnis huc vsq; propemodum Clerus Anglicanus, dum Insuper agnoscit caput Ecclesiæ esse Regem suum (qui jam suo ipsius capite, caret cum Machæâ Calvinisticâ præfectum id sit) Traditiones pari cum scripturis Canonis jure colendas esse, praxes protestantium, cum primis Lutheranorum perpetuæ docent, quibus ipsorum doctrinam polemicam subruj palam est, quia sapientiōres sunt

in actu & usu rerum, quam dogmata, quæ orbi obtrudunt, præfere-
 rant. Joanne Papissæ fabulam destruit ipse Blondellus peculiari ad-
 hoc opusculo gallico, Synodum Tridentinam optimam doctrinæ sa-
 cræ regulam proficitur Grotius, Conciliorum auctoritatem defen-
 sant adversus Arminianos, Contraremonstrantes, quoties Dordra-
 cena decreta propugnare necessum habent. Ministerij necessitatem,
 tutatur Cloppeburgius Calvinianus Belga, pagina 500. syntagmatis
 selectarum exercitationum Theologicarum, ubi disputat adversus
 inuominatum Auctorem libelli, quo docetur communicari, & sine
 symbolis posse & sine pastoribus; quem Pater quoq; Petavius refuta-
 vit, & Albaspinæus in Rigaltij Correptionibus. Christum, & legis-
 latorem esse Anabaptistæ, Remonstrantes, Sociniani una cum Catho-
 licis defendunt: Anabaptistas Euthusiastæque cæteros, Socinianos
 item esse Hæreticos juxta nobiscum tradunt Lutherani, Calvinistæ,
 & maximè protestantes ante hac in Angliâ, de Justitia inhærente, &
 meritis bonorum operum: Lutheranos, reformatosq; refellunt So-
 cinianistæ & Arminiani. Hos quoq; esse Hæreticos, confirmant
 Calvinistæ. De reprobatione quorundam hominum ex absoluto Dei
 decreto nobiscum sentiunt (contra Calvinisequas) Lutheri Ar-
 minijque sequaces. Contra ipsum Lutherum (qualis sub initium
 suæ Apostasiæ existit) nobiscum consentiunt Calvinus, Beza, & Cal-
 viniani, alijq; rectè Hæreticos etiam aliquando capite plecti. Plura
 ejusdem modi hoc pacto comparari exempla experiundo, & cunctos
 religionis articulos per ambulando, possunt deinceps, in quibus pro
 nostra veritate gravissimè depugnant Antagonistæ & hostes omnis
 generis: *qui, dum se invicem expugnant & devincunt, nihil tamen sibi
 vincunt, sed relinquunt triumphum Ecclesie Romanae Catholicae.*

Dicent fortasse Lutherani, in quibusdam contra Catholicos se-
 cum facere Calvinistas, ut contra Calvinistæ dicent secum Luthera-
 nos facere; verum nihil dicunt, nisi singuli doceant Catholicos Au-
 ctiores aliquos secum facere, contra alios Catholicos, in rebus fidei
 nimirum, de quibus in Ecclesia Catholica constat determinatum fuisse,
 tunc quando scripserunt. Has animadversiones, si in authorum
 lectione, semper præ oculis habueritis, aurum à scoria, imposturas à
 sana doctrina, veritatē à calumnijs macdacijq; velut ex sibilò serpē-
 tem,

tem, lupum ex vestigio notare ac evitare, nulli futurum erit difficile.

Habetis, DD. Academici, meas aliorumq; circa salutis Vestrae veraeque fidei negotium, in principio promissas lucubrationes, quibus ne quid vel ad stimulum desit, vel ad exemplum, accipite nunc indiculum quorundam, qui agnitâ veritate, erroribusq; facessere iussis, cum Deo ejusque Sponsâ verâ Ecclesiâ, per reconciliationis Sacramentum, in gratiam redierunt.



INDICULUS.



Uorundam Serenissimorum, Celsissimorum, Excellentissimorum, Illustrissimorum, Illustrium, Gratosorum, Prænobilium, Nobilium, Clarissimorum eruditissimorumq; Dominorum, quorum Majores per rudissimi Superioris seculi infelicitatem, & pro dolor! latè tunc dominantem litterarum ac rerum maximè Divinarum contemptum & ignorantiam, ac universalem morum corruptelam, Lutheri, Calvini, aliorumque Apostatarum mendacijs, fraudibus, calumnijs, sub specioso reformationis nomine, in errores abducti, in quibus deinde filios educarunt, qui nunc demum, reparato bonarum artium ac litterarum honore, agnitaque veritate & Prædicantium dolis, tanto Majorum suorum infortunio ingemiscences, ad veræ Romanæ Ecclesiæ gremium postliminio reversi, nihil æque mirantur ac dolent, quam miserabilem eorum cecitatem, qui stultissimis Hæresion deliramentis implexi, tanto vivunt periculosius, quanto magis sua ignorant pericula; quia amant: amant; quia ignorant.

Qua in recensione ut queri nemo jure possit, suum sibi locum & Ordinem non tributum, malui sine Ordine ita fere nominare singulos, sicut in meam notitiam pervenerunt. & ne quis etiam existimet, omnes eos, qui ad Ecclesiam Catholicam ab Hæresi redierunt, hac tenui à me Pagellâ complexos, paucos tantum Illustriores dabo,

bo. videlicet: Henricum IV. Galliarum Regem Henricum Con-
 daum. Card. Perronium: Ducem Bullionæum: Ducem Frimou-
 lium, Jacobum Marchionem Badensem; Ducem Neoburgicum,
 Wolfgangum Wilhelmum; Marchionem Brandenburgicum Chri-
 stianum Wilhelmum. Duces Saxoniz Lauenburgicos aliquot: Fri-
 dericum Card. Hassium, atque Georgium Christianum, & præcipuè
 Ernestum Landgravios itidem & Principes Hassiz; Alexandrum,
 Holfatiz Ducem Sonderburgicum; Ulricum Ducem Würtembergi-
 cum; Joannem Fridericum Ducem Brunsuicensem & Luneburgi-
 cum, Eduardumque Comitem Palatinum ad Rhenum, Eggenber-
 gios à Didrichsteinios, & Lichtensteinium. Comites deinde Nas-
 savios Joannem Ludovicum Hadamariensem, Joannem Sigenensem
 (qui deinde Principes facti) & Gustavum Adolphum Idsteinensem
 in Comitij nuper Ratisbonensibus gloriose ad fidem veram conver-
 sum. Ab Auersberg, à Tattenbach, à Weissenwolff, ab Altheim, ab
 Egg, à Fürstenberg, à Traun, Fünffkirchen, ab Herberstein, ab Hoff-
 kirchen, à Kueffstein, Khevenhiller, à Lamberg, Morsburg, Kollo-
 nitsch, Khuen, Herbersdorff, Sauraw, Lesle, ab Ortenburg, à Puch-
 haim, quorum unus conversus Societati nomen dedit, Paradeiser,
 Thanhausen, Radtmansdorff, de Nostitz, Schafftenberg, de Salmis,
 Schattenberg, de Schwartzenberg, Suys Generalis Præf: Turriani,
 Tursones, Trauditsch, à Wagenberg. Buthianum Hungarum: tum
 & alios, Helffensteinium, Isenburgensem, Trautmansdorffios, Schli-
 ckium, Mansfeldicos tres, Zinzendorffios, Papenheimios, Götzi-
 os, Losensteinium, Starenbergicos, Stralendorffios, Scherotinum,
 Sinsendorffios, Nadastum, Elsterhasium, Nothafftum, Truchsesium,
 Avancourtium, Jórgerium, Boineburgios, Sickingios, Ranzowios
 (quorum unus Galliz Marefchallus, quam reliquit viduam, illa sui
 sexus ingens decus in Religione Annunciarum Parisijs vivit Deo,
 ac sibi, valere iussis mundanis) Schaffgotschium. Trandorffium,
 Gonnium, Lutzovium, Joannem à Reck, Petfchovitzium, Spancko,
 Sallenburg, Sonnaw, Werthaim, à Windisgrätz, de Wals, Man-
 dorf, Kainach, Lenghaim, Moscon, Oppeln, Worzhita, Raimb-
 schuffel, Rauber, à Waldherskirchen, Aichelburg, Buchdorff, But-
 zer, Cronegg, Culmair, Cazianer, Christiaus Theodori: à Czervi-
 cau,

cau, Eibeswalt, Gleichspach, Gloyach, Gallenberg, Gera, Gallen, Genger, Valrodius suprem: præf: Vigil: Schubhart, S. C. Majest: Consili. Schmit, Ferenberger, Suttinger, Justus Gebhardt, Wolmar, à Pfaltzer, Schwaben, Neuhaus, Foppium ab Aitzema, Teuffelios, Grishemios Eltzium, Breitzkium, Bernardum Mallinkrotium, Roswurmium, Georgium Marschalk Equitem Bremensem, Vitzdumium, Raw, Buseck, Matthiam ab Oppen, Weschphenningium, Postium Zutphanensem, Lammingium, Rabenavium, Skyttium Suedum (qui factus denique in Lusitania Franciscanus, nominatur Laurentius à S. Paulo, & Confessionem Catholicam edidit) ut plurimos præteream Comites, Barones Equestris Ordinis, & nobilitate claros. E doctis, qui vel aliquantisper ambigui, vel extra Romanam communionem cum essent, in ea denique mori elegerunt & vivere: istos accipe: Georgium Wicelium, Martinum Eisengrein, Franciscum Spiram (de cujus desperatione Apostata Vergerius, quem Adversarij aliqui Cardinalem fuisse fingunt multa scripsit mendacia, ut probat Hieronymus Mutius in litteris Catholicis Italicis) Fridericum Staphylum, Georgium Cassandrum (aliquamdiu quidem quasi ancipitem, suprema tamen hora fidem Catholicam, rejectis quas in lucem dederat nugis, & obedientiam erga Romanam Sedem omnimodè professum) Franciscum Balduinum, Hieronymum Bolsecum, Henricum Spondanum, Bernardum Ochinum (ut Beza quidem testis est in Iconibus) Jo: Agricolam Islebium, Stanislaum Orichovium, Valentinum Parcaum, Casparum Francum, Sebastianum Fafschium, Jacobum Rabum, Joan. Engerdum, Joan. Bruinerum, Theobaldum Thamerum, Canaijum, Tschorschium, Rhætum, Fabium Quadrantinum (qui tandem obiit Societatis JESU Novitius) Joan: Pistorium Niddanum, Zehenderum (Aulicum illum Concionatorem Badensem) Casparem Schioppium, Joan. Harennium, Justum Lipsium, justum Calvinum (postea dictum Baronium à Confirmationis patrino Cardinali) Martinum Stricerium, Joan. Morinum, Petrum Cudsemium, Sixtum Sartorium, Jodocum Coccium, Gasparem Ulenbergium, Arnoldum Meschovium, Decumanum, Thomam Vitum, Saurmannum, Jarricum, Clovetum, & Rhotomagensem Basilius, Jeremiam Ferrerium, Dominum de villa nova, Lahusium Of-

nabrugensem, Joan. Crusium Bremensem, Hunterum Suedum, Steinbuchium Danum, Laurentium Nicolai Norwegum Soc. Iesu, popularemque ejus Ioan. Rugium, Danielem & Martinos, Groshansios, Eilbrachtum (si tamen ut aiunt in agone ultimo rursus anhelavit ad Sacramenta Catholica) Horneccium, Ioan. Kircherum, Petrum Bertium, Augustum Fischerum, Georgium Reüterum, Ioan. Barclaium (ex ambiguo palam denique Catholicum) Ioan. Bapt. Ficklerum, (Auctorem illum Theologiæ Juridicæ) Bernardum Sutholtzium, Bernardum Rottendorffium, Paganinum Gaudentium, Bertholdum Nihusium, Henricum Wesembecium, Henricum Keddium, Auctoris Patrem, qui tribus annis ante obitum relicto Calvino Ecclesiæ Catholicæ se se associavit; Adamum Louwermannum, Embricensis Civitatis Senatorem; Henricum Iordanium; Henricum Iulium, Grashoff, Brautlachtum, Christophorum Besoldum, Reinhardum, Bachovium, Helfricum Ulricum Hunnium, è Caufaboni filijs unum, qui perhibetur factus Capuccinus, Lucam Holsteinium, Wolffium à Todenwart, Goldastum (certe Catholicismi spem aliquibus iniecisse videbatur, cum libros de rebus Boëmicis Francofurti Anno M. D C. XXVII. editos pro Austriacis claudens epilogo desineret in hæc verba: Nos nobis conscij sumus, ompia hæc à piâ puraq; mente profecta esse; quæ sequius videbuntur, Pontificiæ Sanctitatis & Cæsareæ Majestatis Commissariorum tum prudentum hominum, cognitioni & censuræ nos & omnia nostra obcdientes, & lubentes submitimus) Lichtensteinerum, Bartholomæum Nigrinum, inque hujus Contubernio mortuum Theodorum Simonem, Petrum item, Ostermannum, Fridericum de Salis Oxelium, Philippum Caroli, Speidelium, Lindenspirios, Brachetum, Milleterium, Ochsenbachium, Balthasarem Raydt Medicum, qui Pistorij consanguineus, Henricum Ioannem Fridrich, & Ioannem Schefflerum Medicinæ itidem Doctores. Codurcum, Ioan. Adolphum Cypræum, Georg. Granefeldium, Benignum Elbingensem Capuccinum, Steinium, Cancellarium Hildesensem, Melchiorem Martingum, Everdingum Wolfebyranum, Ioachimum Sachtlebium, Widmannum Ratisbonensem, Corvinos Patrem & Filium, Fridericum Geisler, Dollingennum, Draconem, Sonnemannum, Schmitium, Concionatorem nuper

per Noviomagensem, Iustum Vondelium, Petrum Niewkerckium, Rinskotum Senatoris Hagensis filium, Ioan. Benning, Volusium, Ioan. Zeschlinum, Franciscum Ghisen, Doct: Cæsarem Concionat: aulic: D. H. Georgium Geyer Nurenberg: Ord: S. Dominici, Henricum Iulium Blumium Hannoveranum, Hieronymum Dickelium, Ioan. Linckerium, Ioan. Mulhusinum, duos fratres Mulmannos, Pat: Amende Soc. Iesu Concionatorem Matthiæ Imperat: Ioannem Höfferum, ex Professore & Doctore Lipsiensi Theologo conversum, cum refutare vellet octo controversias Pat: Christophori Mayl. Eumenium Medicinæ candidatum, post Societ: Iesu. Vitum Erbermannum, Martinum Sibenium cum fratre utroque, Henricum Schachtium, Petrum Wernichium, Noëlium, ac Terterbornium, Christophorum, ac Christianum Fischeros Fratres Magdeburgicos, Harlenderum Dresdensem, Kütnerum, Kreineckium, Winterum, Grebinios duos, Hollerum, Widenbrugum, Bochorstios, Othonem Melandrum, Molinum, cuius meminit Bellarminus ep. 150.) Martinum Ianickho, Rautensteinium, Laurentium Buellium, Hennigium Soethoff. vt alios innumerabiles boni & magni nominis viros, religiosissimum quoque vitæ genus amplexos, ut nec minus personas alterius sexus Nobiles, valde pias, & præclaras, in præsentia non memorem, quarum & maiorem dant numerum Brerleius Apolog. Protestantium tract. 2. sect. 4. Veronius Volum. suo Gallico, & in Polonis non nemo alibi; ne de plurimis conversis tum ab Archi-fraternitate sanctæ Crucis Coloniensi, tum ab alijs in Fœderato Belgio, Britannicisque Insulis, deque Græcis è schismate reducibus.

De Hereditariarum sanè Sacræ Cæsareæ Majestatis Regni Bohemiæ & aliarum Provinciarum Illustrioribus familijs ad Catholicam fidem reductis, etsi pauculas hic inseruerimus, longum foret accuratos texere Catalogos, cum in quibusdam omnes, in plurimis pleræque, in singulis plurimæ Illustriores Nobilioresque familiæ ad Orthodoxam Romano Catholicam Ecclesiam reversæ sint, in eademque hodie incredibili animi solatio persistant. Si sapis præeuntes sequere ab erroribus salubriter reduces, cuius Majores, alios male secuti aberrantes, qui suam haut dubie stultitiam altum ingemissent, & utinam non æternum. Tu sape, dum licet,

Epilogus ad Lectorem.

Dispice nunc Amice Lector, & illo, quem tibi Deus largitus est, intellectu tanquam rationem redditurus, utere. Nosti illud Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Et illud ejusdem cap. 16. *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, &c.* promisit Christus cum Sponsâ suâ Ecclesiâ se mansurum sine divortio, promisit contra eam inferos non prevalituros. Vidisti conformitatem hujus nostræ Ecclesiæ cum primitivâ, consentientia tot seculis Conciliorum, SS. Patrum testimonia: Scis ab eadem hac ad Indos, Japones, Brasilos, Chinas, Tartaros &c. illatam, propagatam, confirmatam Christi fidem, alio eorum nullo, qui eò illam intulerunt, terreno lucro, quam vitæ & sanguinis pro Christo jacturâ. Nullum Ecclesiæ hujus nostræ dogma invenies, quod non credidisse reperies illos, qui vitæ morumq; sanctitate & doctrinâ clari, multis seculis Ecclesiam, dum viverent, Illustrarunt, ideoque Sanctorum Patrum communi appellatione censentur. nisi oculos claudas, facile videbis hodiernos Romanæ Ecclesiæ fidei articulos tunc in Ecclesia Christi creditos, quando eam in luculentum fidei testimonium millium multorum Martyrum sanguis irrigavit. Considera tecum ista, & dic obsecro mihi, quid tandem est quod te prudenter movet, ut inferos credas contra Ecclesiam prevaluisse, Christum ante seculi consummationem eandem deservisse? Lutheri, inquires, Calvinique hoc asserentis auctoritas, aut rectius fortasse, quia tu ita sentis, quia hanc opinionem cum lacte hausisti, in ea nutritus es, adolevisti, consenuisti. insania, crede mihi, ista est: &, cum solidi tamen nihil habeas, id te pudebit dicere. Ostende sis Lutheri, Calvinique vitæ morumque sanctitatem, aut ullius Ministrorum tuorum. ubi est in imaginariâ illorum, aut tuâ Ecclesiâ, Evangelicorum Christi consiliorum usus? Ostende in Magistris tuis beatos spiritu pauperes, quales fuere Apostoli, cum dicerent: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* Quis Prædicantium tuorum laudatam tantopere ab Apostolo sectatur Virginitatem, aut eam suis sectandam suadet? Unde etiam mirum
non

III.

non est quod Ministri Vestri ab Indis Iaponibusque ad Christum ad
 ducendis abstineant ; hoc enim non paterentur uxores, & prolium
 greges, quales si Apostoli habuissent, an unquam tot dissitæ gentes
 fidei lumen vidissent? dabisne in toto Ministrorum tuorum grege,
 vel unicum, qui cum Apostolo *non quasi aërem verberans castiget cor-
 pus suum*, ne eum alijs prædicaverit, ipse reprobus efficiatur? ubi
 mortificationis interioris exteriorisve studium inter ipsos Doctores
 tuos? Ostende etiam, vel unicum verbi Ministrum, qui eam vitam
 egerit, ut mortuus communi suorum calculo, ob vitæ integritatem
 (de doctrinæ fama non loquor) pro sancto sit habitus, aut quem
 mortuum miracula commendârint. quorum omnium cum nullum
 possis, quid, amabo, te fascinat? quid retinet, quo minùs in ejus
 properes Ecclesiæ gremium, in qua omnia ista invenies? à qua tunc
 exierunt Ductores, Doctoresque tui, cum pejores esse cœperunt, à
 qua etiam nunc nemo egreditur, nisi ut licentius vivat, nisi quia cru-
 cem Christi invitus tulit, mortificationem, temperantiam, religiosam
 disciplinam, studium virtutis, castitatem gravatè coluit, si tamen
 coluit. refer obsecro periculosè aberrantem pedem, ad Ecclesiam,
 illam quæ toto Orbe diffusa est, una est, sancta est. hoc à te meretur
 Christus, qui eam proprio sanguine acquisitam, super Petram fun-
 davit inconcussam, hoc obtestantur militantes, hoc desiderant tri-
 umphantes fratres tui. Vale, & quod moriturus, imò à Christo
 judicandus elegisse voles, nunc amplectere.

Errata Typographica Prudens Lector
 facile corriget.

F I N I S.



